DE CICERONE ET LIVIO VALERII MAXIMI FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESCENDOS
DIE XXI. M. JULII A. MDCCCLXV.
H. L. Q. S
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRANCISCUS ZSCHECH
KIENITZIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
GEORG HILLE, PHIL. CAND.
GUIL. HOFFMANN, PHIL. CAND.
CHRIST. PAETZ, PHIL. DR.

BEROLINI
TYPIS FERDINANDI ZSCHIESCHE.

VIRO ILLUSTRISSIMO ET HUMANISSIMO

GEORGIO PRAETORIO

AB INTERIORIBUS REGIS CONSILIIS MERCATURAE

IUVANDAE, EQUITI CET.

ET

AVUNCULO BENIGNISSIMO

GUILELMO WENDTIO

HAS

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

D. D.

FRANCISCUS ZSCHECH.

Factorum dictorumque memorabilium libri a Valerio Maximo scripti, qua per multa saecula dignitate florebant, non auctori debere mihi videntur sed malignae fortunae, quae maximam literarum nobis romanarum partem eripuit parvamque compensationem scriptores secundi et tertii ordinis reliquit, ita ut eos testes adire coacti simus, qui plurima ab iis tradita non ex ipsorum ingenio sed libris melioribus adhibitis conscripserunt. Quam ob rem verissime contenditur, de hoc scriptorum genere recte solum quaestione accurata de fontibus et de ratione, qua iis usi sint, instituta judicari posse. Atque cum animadverterem diligentius de his rebus Valerium adhuc examinatum non esse, proposui omnia ex integro investigare et perscrutari.

Sed priusquam ad rem ipsam accedatur, liceat de librorum usu et consilio atque de historia critica pauca facere verba. Quibus de rebus cum multum jam ab aliis disputatum sit, hic tantum dicatur, quantum ad propositum pertinet.

In primis quidem quaerendum esse mihi videtur, quem in usum Valerius opus suum composuerit. Accuratius legenti, quae de consilio atque ratione librorum in praefatione ipse dicit, quaeque sine dubio maximum veri judicii momentum habeant necesse est, dubium esse non potest, quin Valerius historicum opus scribere noluerit. „Urbis Romae, ipse ait, exterarumque gentium facta simul et dicta memoratu digna, quae apud alios latius diffusa sunt quam ut breviter cognosci possint, ab illustribus electa auctoribus digerere constitui, ut documenta sumere volentibus longae inquisitionis labor absit.“

Compositionis quidem genus totius libri historiae parum aptum esse existimo. A multis autem viris doctis, qui per longum tempus in Valerianis libris versati sunt, plus tributum est auctori nostro, quam ipse efficere voluisse putandus est: qua in re hoc omissum esse mihi videtur, quod res memoratu dignae multum in se ipsae laudis habent et proferenda in oratione instituta virtutes vitiaque majorum notabilia et ad imitandum proposita pigmento, ut ita dicam, artis oratoriae fucanda erant. Quod a Valerio copiosissime factum esse, nemo est, qui desideret. Eum autem aetati suae priorum temporum res ita opponere voluisse, ut aequales tanquam in speculum inspicerent in vitas hominum et ex aliis sibi sumerent exemplum equidem non vidi.*)

Quod consilium eum secutum esse nemo cogitabit, qui locos multos legerit, quibus Tiberii imperium summis laudibus effertur. Judicandum est igitur, ei in animo fuisse, librum in usum perorantium et declamantium conscribere atque ludis rhetoricis potissimum et Valerius qua tamdiu floruit auctoritatem et posteritas servatum hunc librum esse debet.

Quod maxime intellegitur ex epitomis, quae ex Valerii libris factae praeter illum ad nos pervenerunt: ex quibus Paridis epitome a Majo in scriptt. vett. nov. coll. T. III. P. 3 edita ad artem criticam multum valet, quod auctorem accuratissime secutus est. Neque concedendum esse puto, quod de exemplis externis a Kempfio dicitur: eo nomine proferri ea, quo Romana magis illustrentur atque extollantur; nam exterarum gentium exemplis paene in omnibus libris Cicero usus est — cf. Brut. 7, 23 — atque ut omnia exempla ita etiam haec orationibus ornamento sunt.

Quae de textu Valeriani operis et de codicibus manuscriptis, deinde de epitomatoribus et de editionibus dici potuerunt, a Kempfio, viro doctissimo in nova editione Berolin. 1854 acutissime disquisita et patefacta sunt. Quid novi

*) Cf. Kempf. praef. p. 9.

de his rebus afferam non habeo. Hoc unum tamen maxime observandum nobis erit, quamvis magno libri Valeriani semper honore viguerint, emendationes et correctiones additas esse, ut nullum codicem habeamus, qui sincerum atque incorruptum textum nobis tradat. Quod de omnibus libris manuscriptis dicitur, non minime de codice Bernensi dicendum est, quem inter omnes qui nobis exstant, optimum esse Kempfius demonstravit. Idem jam ad Julium Paridem, tamen alio modo, pertinet, qui praecipue ubi de fontibus Valerii Maximi agitur, magnum momentum habere posse non putandus est. Facile enim cognoscitur (id quod a Kempfio praef. p. 52 jam adnotatum est) a Valerii abbreviatore alios quoque scriptores adhibitos ejusque ipsius fontes iterum aditos esse ita ut interdum nova quaedam inde petita ab eo adderentur. Quo factum est, ut apud epitomatorem habeamus quod apud Valerium non invenitur. Quod ex locis illis a Kempfio allatis satis intellegitur: equidem hic, quod multorum loco esse potest, unum exemplum apponam, quia aliter de eo judicavit vir doctissimus. Apud Val. VIII, 9, 1 narratur de Valerii Poplicolae eximia eloquentia, neque dubium est hunc locum e Cic. Brut. c. 14, 24 petitum esse. Notum est ab aliis scriptoribus — a Liv. II, 32; Dionys. Hal. VI, 49; Plut. Coriol. 6, Victor. 18 atque etiam a Valerio ipso IV, 4, 2 — Agrippae Menenio hoc tribui, ut plebem ad meliora consilia revocarit et post secessionem illam famosam in urbem reduxerit. Cum Cicerone autem et Valerio nostro facit elogium Poplicolae; a Paride tamen hoc ignorante temere Agrippa Menenius substitutus est. Cf. Kempf. p. 657 adnot.

In Valerio tractando prioribus aetatibus multum a viris doctis studii adhibitum est illustrissimorumque philologorum nomina nobis occurrunt, a quibus libri ejus editi sunt: St. Pighii, J Lipsii, Perizonii, Torrenii ceterorum.*)

*) A Pighio Valerius Max. editus est Antverp. 1572, cujus exemplis Lipsius et Perizonius notas adjecerunt; omnium autem ante

Quorum tamen plurimi in textu emendando et restituendo majorem operam contulerunt quam in fontibus ejus exquirendis. De quibus certi quid constitui demum potest, ex quo tempore Kempfii editionem habemus. Atque haec quidem est, quae in singulis quibusque rebus quaestioni nostro fundamento est.

Ab omnibus autem illis prioribus Valerio vis allata est neque pauca jam dubia magis etiam confusa sunt. Quam culpam cum in librorum bonorum defectum tum in ipsum conferre debemus qui in exscribendis aliis auctoribus admirabili neglegentia versatum esse negandum non est. Circumferuntur enim in Valerii libris multi errores gravissimi in referendis factis dictisque commissi, qui de auctoritate ejus multum detraxerunt: in iis patefaciendis et eruendis magna ab omnibus opera consumta est, a nullo tamen eorum causa recte demonstrata esse mihi videtur. Discernimus hic duas partes: unam, quae Pighium acutissimi ingenii virum, secuta est, qui omnia a Valerio peccata ex librariorum neglegentia orta esse putavit; alteram, cujus princeps Perizonius est, vir in literis multum versatus, qui certo quodam gaudio, ut omnes errores detegeret summum studium contulit. Qua in re liceat nobis confiteri, nullum eorum nos secutos esse: nam scriptor gravissima licentia et incuria absolvendus non erit contra librorum manuscriptorum auctoritatem; tamen a Perizonio in eo erratum esse existimo, quod paene omnia a Valerio relata ad Livium exegit.

Satis erit, harum rerum mentionem fecisse; ad nostrum judicium remissi sumus, quam ob rem ad id animos advertamus, quod ad ipsam quaestionem pertinet.

Revertamur ad illud quod supra dictum est de consilio atque usu, quem libris Valerius consequi voluerit. Quid

---

se auctorum conjecturas et adnotationes Torrenius collegit in edit. Lugd. Batav. 1726. Perizonii praeterea librum habemus qui inscriptus est animadversiones historicae ed. Harles, Altenburg 1771. — Cf. Kempf praef. p. 43 sqq.

ipse de hac re senserit cognovimus, nunc de totius operis indole atque argumento quaeramus.

Proferuntur enim nobis instituta, mores, virtutes, vitia Romanorum et exterarum gentium, sed si de ordine earum partium singularum sciscitamur, mira confusione omnia, quae in mentem auctori veniebant, collecta atque continuata videmus. Sic in primo libro de religione et sacris majorum exempla congeruntur, in altero de institutis antiquis, deinde vero in quinque libris de virtutibus, in octavo de quaestionibus, causis, de studio, de senectute, de cupiditate gloriae ceter., in nono libro de vitiis hominum dicitur. Cum autem oculos convertamus ad singula, hic illic de iisdem rebus agitur quae nulla difficultate conjungendae erant: II, 3 de constitutis militaribus exempla affert, in eodem libro cap. 7 de disciplina militari. Res profecto diversissimae connexae sunt, id quod maxime septimo et octavo libro factum est. Sed de his longius esse supersedere possumus, eos qui in animo habent, Valerii libros legere, non effugiet, eum in continuationem seriemque rerum nullum laborem consumsisse.

Huc accedant necesse est duae alterae quaestiones, una qua ratione ad consilium in praefatione sibi propositum pervenerit, altera quantum ex omnibus rebus ingenii auctoris proprium esse putandum sit. Atque primae quidem quaestioni ipsius verba respondent: „ab illustribus electa auctoribus facta dictaque memoratu digna digerere constitui."

Quae congesta magis quam digesta esse mihi videntur. Neque difficile est cognoscere exempla aliud post aliud, ut forte auctori placebat aptumque erat descripta nunc ex ho[illegible] nunc ex illo libro proferri: atque ex eo quod historicu[illegible] opus scribere noluerit, plane consequitur, ut artem critica[illegible] in referendis rebus nunquam adhiberet. In singulis e[illegible] locis unum semper auctorem inspexit saepeque easdem r[illegible] ex dissentientibus inter se scriptoribus haustas nobis iteru[illegible] refert. Apponam hujus rei pauca insignia exempla: P. Valerio Publicolae VIII, 9, 1 tribuitur, eximia ejus eloquentia

plebem in urbem revocatam esse, id quod IV, 4, 2 Agrippa Menenius fecisse traditur. Jam I, 8, 3 Junonis Monetae templum in monte Aventino, VI, 3, 1 in Capitolino vidisse se narrat Valerius. Itaque V, 2, 4 Fabio dictatori trib. plebis Minucium mag. eq. aequatum esse refert III, 8, 2 imperio.*) Quod quidem nobis ostendit, neglecto quo modo antea secundum alium scriptorem eandem rem prodiderit, interea inspectum esse alium, qui ab illo abhorrebat.

Ad Valerium autem ipsum in hoc toto opere, cui nomen ejus praepositum est, exceptis paucis exemplis nihil nisi verborum tumor pertinet, quo singulas res, ut ita dicam, circumfudit. Ac ne hunc quidem omnem tribuere ei poterimus. Ingenium enim solum nobis demonstrant praefatiunculae et capitibus et exemplis singulis praemissae atque breves epilogi adjecti sententiaeque hic illic insertae. Quorum maximam partem negare ei, in animo non habemus. Ejus tamen vehemens studium imitandi Tullianum illud inflatum orationis genus effugere nos nequit, quod inanium verborum turba multo superavit. Neque raro ei accidit, ut Ciceronem etiam in introductionibus et epilogis adhiberet atque ut singulas leges, quibus librum suum disposuit ex eo sumeret. Ciceronis eum maxime aemulum fuisse jam primus locus, qui totum opus incipit, nobis denuntiat itemque exordium secundi libri. Jam multa sententiarum verborumque ornamenta Ciceronem sapiunt, ut V, 5 praef. cf. Cic. de off. I, 17, 57. Atque epilogus exempli VIII, 14, 6 de Phidia sumtus est e Cic. Tusc. I, 15, 34. Sed multum illarum praefationum, sententiarum, epilogorum ad Valerii ingenium ipsum pertinere, nemo negabit. Eorum autem exemplorum, quae sibi ipse debet auctor, numerus parvus est: liceat tamen ea hic praetermittere, nam quaestione de ejus fontibus instituta ipsa reliqua patebunt, quae Valerio

---

*) Etiam Livius utrumque ponit cf. Liv. XXII, 23 et 26; de Val. V, 2, 4 et III, 8, 2 vide inferius.

tribuere possumus. Eos, quos illa antea novisse juvat, rogo, ut Kempfii praefationem p. 12 adeant.

Jam omnem vero rationem, qua illustrium auctorum libris usus est, ostendit luculentissime exordium primi libri, quo sex Ciceronis diversos locos una comprehensione complectuntur. Itaque scriptori nostro inprimis et operam tribuemus, quam in eligendis atque exquirendis locis contulit et artem qua singula exempla ad sententiam suam accommodavit. Maximam partem auctores suos presso pede secutus iisdemque verbis usus est, ut hac ex re investigationi nullae difficultates exsistant. Infitiandum tamen non erit, res a Valerio relatas ex studio illo omnibus laudis rhetoricae artibus facta dictaque exornandi summum detrimentum cepisse. Ea namque licentia rhetorum in majus extollendi in historicis, ut aliquid dicere possint argutius amplissime usus est: atque multa etiam, quod obscure et tumide dicuntur, intellectu ita carent, ut quid caput rei sit, non facile cognoscatur. Quam ob rem maximam dubitationem nobis affert, quid pro ornamento habendum sit, quid non. Quamquam optime hoc disquisitione fontium demonstrari posse censeo, tantum tamen ante constituamus, res ipsas ab auctore nostro rarissime suppletas eumque in additamentis saepissime ridiculis atque inanibus versatum esse.

Cujus rei exempla haec sunto: Val. VI, 4, 1 Manlium Torquatum eum, qui Campanorum arrogantiae vehementissime restitit, filium ejus nominat, qui Latinos apud Veserim inclita pugna fuderat. Ex optimo autem fonte hoc exemplum sumtum esse, equidem puto erroremque Valerii commissum eam ob causam, ut eleganter patri filium opponeret. Similiter suspicor ementitum esse, quod IV, 8, 5 refertur, Isthmiis illis, cum Graecis libertas pronunciaretur, aves clamore attonitas decidisse: nam in ceteris omnibus verbis Valerius consentit cum Liv. XXXIII, 32. Item II, 9, 3, quod exemplum e Cic. Cat. M. 12, 42 petitum est, quae in extremo exemplo de „Philippi regis supplicibus manibus“ dicuntur ex ipsius ingenio orta esse, nemo ne-

gabit. V, 5, 1 habemus exemplum e Cic. Phil. XI, 7, 17 haustum de P. Scipione Africano ejusque fratre L.; apud Ciceronem autem verba „qui tametsi artissima familiaritate Laelio conjunctus erat“ non legimus.

Additamenta vero quae ad ipsam rem pertinent, nunquam adjecta esse contendo: nam eo summa ignorantia, quae in omnibus etiam notissimis rebus patet, arcebatur auctor. Cum IV, 4, 7 apud Valerium legimus L, Quinctium Cincinnatum septem agri jugera possedisse exque his tria multae nomine amisisse, id quod apud Liv. III, 13 et 26 non invenitur, judicandum erit ex Livio hunc locum desumtum non esse. Jam III, 2, 8 et VI, 5, 1 „apud Verruginem“ additur — cf. Liv. III, 37—42. Deinde Fabium IV, 8, 1 vendisse septem jugera in Pupinia addicta perhibetur, qui locus apud Liv. XXII, 23 non significatur. Atque I, 1, 10 cognoscimus, Caerimonias a Caere oppido dictas esse, id quod apud Liv. V, 40, qui hoc loco mirum in modum facit cum Valerio, non habemus. Idem multis aliis locis, quos enumerare longum est, evenit.

Haec etsi levia videntur, tamen idcirco a me proferuntur, ut eorum opinioni repugnem, qui antea de his rebus judicaverunt. Atque hic locus erit copiosius dicendi de erroribus, quos in referendis factis dictisque commiserit auctor. Jam supra commemoravimus, Perizonium magnopere studuisse, ut illos in lucem protraheret: virum autem doctissimum ipsum in eo falli existimo, quod multa a Livio abhorrentia Valerio vitio danda esse putavit.*) Sic vehementer auctor reprehenditur, quod IX, 3, 3 Cn. Flavium scribam, qui secundum Liv. IX, 46 aedilis curulis factus est, praeturam adeptum esse dixerit. Sed Plin. N. H. XXXIII, 1 nobis tradit, scribam illum etiam tribunum plebis fuisse atque ex accurata consideratione efficitur, ut meliorem relationem

*) Cf. quae Kempfius praef. p. 28 sqq. de his Valerii erroribus judicavit, qui maxime Perizonium secutus illorum causam ubique in nostri auctoris neglegentia atque incuria positam esse existimat.

apud Valerium esse censeamus. Itemque explicabimus, Valerium IX, 10, 1 cum de Tusculanis in civitatem romanam receptis referret, Liv. VIII, 37 non legisse. Similiter judicem, locum II, 5, 1 de statua aurata e Liv. XL, 34 sumtum non esse, quod statuam auratam in urbe primam equestrem fuisse ex Valerio intellegimus; neque eum falsum esse II, 8, 5 de causa cur Marcello triumphus negatus esset. Magis artificiose vero quam probabiliter expositum esse a Perizonio mihi videtur, quomodo I, 6, 5 auctor, ubi de prodigiis secundo bello Punico creditis refert, omnia miscuerit. A Livio quidem XXI, 62, XXII, 1, XXXV, 21 similia traduntur, tantum tamen de locis inter se discrepant scriptores, ut minime hic eum a Livio petivisse concedam — cf. Kempf praef. p. 28. Namque accuratius collatis Valerii et Livii locis, jam nemo credat, recte a Perizonio explicatum esse, quomodo ille ab hoc discesserit. Legimus enim

apud Valer. I, 6, 5:

„Ejusdem generis monstra alio tumultu credita sunt, puerum infantem semestrem in foro boario triumphum clamasse; alium cum elephantino capite natum; in Piceno lapidibus pluisse, in Gallia lupum vigili e vagina gladium abstulisse —"

quae sequuntur e Liv. XXII, 1 desumpta esse debent —

„in Sicilia scuta duo sanguinem sudasse etiam metentibus cruentas spicas in corbem decidisse, Caerites aquas sanguine mixtas fluxisse. Bello etiam Punico secundo constitit Cn. Domitii bovem dixisse „cave tibi Roma."

apud Liv. XXI, 62:

„multa ea hieme prodigia facta aut — multa nunciata et credita sunt: in quis ingenuum infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse; et foro boario bovem cet —"

jam inferius:

„et in Piceno lapidibus pluisse et Caere cet et in Gallia lupum vigili gladium ex vagina raptum detulisse."

Liv. XXII, 1:

„in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia — scipionem arsisse et litora crebris ignibus fulsisse et scuta duo sanguine sudasse et cet. Caerites sanguine mixtas fluxisse aquas fontemque ipsum Herculis cet et Antii metentibus cruentas in corbem spicas decidisse cet."

Quae quam similia sint, nemo est quin videat, multo magis tamen inter se discrepant. Atque primum quidem secundum Valerium in foro boario accidit prodigium quod in foro olitorio factum esse Livius refert itemque quae in Sicilia ille, hic in Sardinia et Antii evenisse scribit; deinde singulorum ordo plane diversus est; postremo autem non praetermittendum est, quod apud Livium non legitur, „infantem cum elephantino capite natum esse." Neque verisimile esse puto, Valerium unquam complures locos ex Livio, qui annalium referendi modum sequitur, descripsisse neque temporum discrimen sensisse: quam ob rem ne hoc quidem e Liv. XXXV, 21 ortum esse censeo, quod Domitii bos bello Punico secundo dixerit „cave tibi Roma." Ad eadem prodigia spectat, quod apud Cic. de div. I 37, 78 legimus eaque ad Flaminium pertinere liquet, de quo a Val. I, 6, 6 sequenti exemplo traditur neque dubium erit, monstra illa notabilia etiam a scriptoribus aliis narrata fuisse.

Atque Kempfium ipsum erravisse puto, cum crimini auctori nostro daret, quod VIII, 9, 1 Poplicolam cum Agrippa Menenio confudisset — cf. Cic. Brut. c. 14. Neque concedam, ut errorem commiserit Valerius IV, 1, 1 ubi de Poplicolae moderatione dicitur: ex Cic. de rep. II, 31, 54 et 55 potius enim quam e Liv. II, 8 locus desumptus est atque id quod vitio vertitur auctori obscuro ejus et tumido dicendi generi tribuendum est. Aeque alium fontem ac Livium I, 1, 15 inspectum esse suspicor; itemque IV, 3, 1 ubi Valerius nomen Indibilis habet, cum Liv. XXVI, 50 nomen Alucceji perhibetur bis in eodem eo loco, quem ille describere debuisset. Itaque falso I, 1, 20 „Locros" substitutum esse mihi videtur, quod, cum in codicibus CE Locris circumfertur, ex sequentibus exemplis I, 1, 21 et I, 1 Ext. 1 desumptum est. Tamen modus aliquando adhibendus est, investigatio fontium satis nos edocebit, quid ad quemque auctorem pertineat.

Nunquam autem in mentem mihi venit, Valerium omni neglegentia atque incuria absolvere. Qua re cum Kempfio

consentio, eum falli VI, 6, 3 de M. Aemilio et L. Flaminio coss., itemque II, 4, 3 de secretis senatorum sedibus. Quomodo factum sit, ut I, 6, 1 Tanaquil Anci regis uxor appelletur equidem non habeo explicare.

Vera saepissime errorum causa in eo posita est, quod auctor singulis locis, ubi easdam res secum ipse dissentiens tradidit, diversos fontes advocarit. Sic cum V, 8, 2 Sp. Cassius trib. pleb., VI, 3, 1 ter consul vocatur, discrimen ex fontium dissensione explicandum erit: recteque judicatum esse a Pighio de Junone Moneta, cujus templum I, 8, 3 in monte Aventino et VI, 3, 1 in Capitolino se vidisse ait Valerius, jam ex ipsis verbis intellegimus „in qua nunc cernimus“ (I, 8, 3) et „ubi nunc videmus“ (VI, 3, 1): quae verba certe ex eo, quem singulis locis inspexit, auctore transtulit.

Eadem ratione aliud peccatorum genus explicatur: saepius enim similia ita conjunguntur et continuantur, ut priorem partem exemplorum ab hoc, posteriorem ab illo fonte petiverit. Itaque auctori nostro rerum Romanarum imperitissimo non raro accidit, ut factorum vel relationum similitudine in errorem traheretur. Quod factum esse, facile intellegitur, ubi viri praeclari cum ejusdem nominis viris confunduntur, ut II, 2, 4 duo Fabii Maximi, Rullianus cum Verrucoso, commutantur, atque iterum V, 2, 3 et V, 2, 4. Errorem nobis Perizonius animadvss. hist. ed. Harles. p. 86 detexit ejusque causam non vidit. Quid Valerium II, 2, 4 in confusionem induxerit, neminem effugiet, qui legerit duos Fabios filiorum consulum legatos fuisse: neque verisimile est, duas exempli partes ex Liv. XI et XXIV, 44 sumtas esse. Jam clarius consequitur quod contendo ex duobus locis V, 1, 6 et V, 1, 7, ubi Scipionem Africanum cum Aemiliano miscuit Valerius, quorum locorum alter e Cic. Verr. IV, 33, 73, alter e Liv. XXVII, 19 haustus est. Insuper confer, quaeso, quae VII, 3 Ext. 7 et 8 de duobus Hannibalibus afferuntur. Eodem modo VI, 4, 1 accidisse puto, ut de eodem Manlio se dicere non sentiret auctor. Dies me

deficeret, si omnia quae a Valerio peccata sunt perlustrare vellem, satis erit, multis locis errorum causam patefecisse.

Sed haec ea ratione a me demonstrata sunt, ut comprobem, quantas difficultates investigatio fontium accurata habeat quamque facile accidat, ut ipsi in errorem incidamus: quam ob rem nisi singula quaeque diligentius perpendere velimus, minime de his rebus recte judicare poterimus. Mirum quantum in rebus Romanis scribendis auctores saepissime inter se consentiunt, ut discernere non possis, quem ex illis scriptoribus advocatum esse censeas.

His rebus cognitis liceret jam ad ipsum propositum venire nisi statim exsisteret altera quaestio, sintne aliqui scriptores, quorum libros se adiisse Valerius ipse nobis denotet. Legimus scilicet illustrium auctorum nomina hic illic exemplis adjecta, sed quaeritur, nonne haec eorum commemoratio pro ornamento potius rhetorico habenda sit. Alienum enim rationibus ejus fuisse, scriptores quos adhibuit laudare vel citare, cum satis ex eo apparet quod rarissime libri nomen auctori apposuerit, tum quod nulla facultas ei obvenerit, ut nomine aliquid confirmandi causa uteretur. Totum denique librorum genus, qui in usum ludorum rhetoricorum scripti sunt quibusque nos deperditis melioribus libris pretium historici operis tribuimus, hoc potissimum in animo habuisse auctorem, probat, ut exempla omnibus modis rhetoricae laudis instructa colligeret. Itaque explicandum erit, cum scriptorum nomina inveniamus, quorum libros inspectos esse nemo est qui credat. Quam ob rem compilator potius quam plagiator, ut nos dicimus, Valerius habendus est. Illorum autem nomina maximam partem Ciceroni debet, quam sine dubio inprimis ad imitandum sibi proposuit. Huc pertinent IV, 2, 1, ubi veteres annalium scriptores, deinde VIII, 1 abs. 2, ubi Catonis Origines, postremo I, 7, 6, ubi L. Caelius Antipater laudantur; tribus illis locis ad verbum paene respondet Cic. de prov. cons. 9, 20, Brut. 23, 89, de div. I, 26, 56. Jam accedit locus, qui id quod

contendimus, luculentissime comprobat: VIII, 10, 3 enim Ciceronis pro Gallio oratio commemoratur, cujus in fonte Valerii apud Cic. Brut. 80, 277 etiam mentio fit.

Neque ego existimo aliud momentum habere, cum apud Ciceronem iidem scriptores nominantur, nisi quod Valerius illorum etiam nomina apud eum praeterea citata, quae in Ciceronis libris nobis servatis non invenimus, ex eo vel ex alio fonte in opus suum transtulerit.*) Hoc potissimum spectat ad IX, 5 Ext. 4, ubi C. Gracchi oratio in Plautium itemque ad IV, 4, 11, ubi M. Scauri vita commemorantur; neque de Graecorum auctorum nominibus aliter judicare poterimus. Quodsi praeterea eorum scriptorum mentio fit, quibus profecto auctor noster usus est, ut Ciceronis VIII, 13 Ext. 1 (cf. VIII, 10, 3), Livii I, 1, Ext. 19, Varronis III, 2, 24 ceterorum nihil valere mihi videtur facillimeque etiam ipsi animadverterimus, quod quaerimus apud illos nos deprehensuros esse.

Neque illud omittam, quod quae verba legimus IV, 4 praef.: „maxima ornamenta esse matronis liberos apud Pomponium Rufum collectorum libro sic invenimus“ in suspicionem nos adducunt, hic a Valerio auctorem inspectum laudari. Quid de hoc scriptore sentiendum sit vix habeo dicere. Hoc unum fortasse judicare poterimus, librorum illius Pomponii collectorum similem rationem ac Valerii fuisse.

Deerat hucusque certum atque finitum de Valerii Maximi fontibus judicium, quod nunc acutissime a Kempfio in praefatione p. 20 et 21 novae editionis constitutum est. Liceat locum doctissimi viri hic afferre: „id unum certissime mihi quidem constat, antiquiorum scriptorum ex hac quaestione removendos esse omnes Sullae aequales et aetatem ejus praecedentes, qui cet.“

---

*) Ciceronem maxime in libro octavo adhibitum esse videmus (cf. tabul.), quocum facile cohaereat, quod in eo libro potissimum auctorum nomina apud Valerium legimus.

Cui opinioni valde assentior, hoc praeter rationes ejus praecipue moneam, quod optime Valerius fontes suos significaverit, cum dixerit initio operis: „ab illustribus electa auctoribus digerere facta dictaque memoratu digna constitui.“

Quibus verbis hunc sine dubio sensum tribuere possumus, ut de his scriptoribus cogitarit, qui aetate sua maxime florebant quorumque ex libris sententiae et exempla etiam ab aliis rhetoribus repetebantur, inprimis de Cicerone, Livio, Varrone, Sallustio, Caesare, Pompejo Trogo, fortasse etiam de Cornelio Nepote.

Qui molem exemplorum circumspiciat, quae in libris novem congesta sunt, animumque advertat ad laborem atque operam, qua ad omnia singula disquirenda et perscrutanda opus est, facile intelleget, necesse esse, quaestionem de fontibus Valerii certis finibus includere. Aptissimum igitur esse putavi, quae exempla ad priora Romanarum rerum tempora pertinent eligere, atque quoniam perpetuam historiam scriptam a Livio solo habemus, cujus quadraginta quinque libri maximam partem integri ad nos pervenerunt, idoneum mihi videbatur, ea potissimum tempora complecti quae libris illis Livianis continentur. Itaque ex omni copia ratione obiter inita totius operis circiter pars tertia nobis consideranda atque exploranda erit externorumque exemplorum, quorum non minima indidem hausta sunt atque Romana, ea ad hanc quaestionem accedent, quae ad illa ipsa tempora pertinent.

Ciceronem et Livium primarios duces Valerium secutum esse, non erat difficile cognoscere: quorum libros quantum nobis servati sunt praecipue in eum usum vertemus, ut quid ex iis sumtum sit quid non comprobemus. Deinde hoc nobis quaerendum esset, ut reliqua exempla iis auctoribus redderemus, quorum libri ad nos non pervenerunt.

Sed quia hanc alteram quaestionis partem nondum perfeci, proposui, ut illam priorem, quae est de Cicerone et

Livio, diligentius hic exponerem. Quam, cum infitiandum non sit, multo faciliorem esse, tamen tota fontium investigatio ea nititur: nam nisi antea constituerimus, quid iis qui nobis exstant auctoribus adscribendum sit quaque ratione ii adhibiti sint, nunquam de reliquis recte judicare poterimus.

Quibus finibus constitutis veniat in hanc quaestionem unumquodque exemplum et neglecta distributione ac ratione Valeriani operis singula quaeque enumerentur et perlustrentur serie ad temporum ordinem composita.

§. 1.

Cicero.

Ciceronis maxime aemulum fuisse, quantum ex totius operis indole perspici possit, multis jam antea locis commemoravimus. Praeter tamen hanc universalem utriusque auctoris similitudinem, minime ambiguam, certior etiam in singulis consensus cognoscitur.

Jam videmus a Valerio adhibitas esse et orationes et quos de arte rhetorica ac de philosophia Cicero scripsit libros omnes. Maximam partem locis, quos ab eo petivit, nihil mutavit, ut ubi inter se consentiant facillime intellegatur. Multo plura tamen, quam antea constabat, Ciceroni debet exempla, quae equidem inveni cum diligentius illius libros evolverem.

Atque haec quidem omnia sunt, quae de Ciceronis usu dicam, nam rarissime fit, ut de utriusque auctoris affinitate in ancipiti versemur.

Sequantur denique singuli loci, quos ex eo desumpsit Valerius.

Quae ratio intercedat inter Ciceronem et illum praeclara primi capitis introductio satis probat I, 1. Mira enim sollertia hic e Ciceronis libris locos Valerius congessit. At-

que quae primo de majorum religione leguntur ad verbum paene respondent Cic. de har. resp. 9, 18: utriusque locos jam Kempfius praef. p. 13 opposuit facileque ex collatione eorum cognoscitur, quantum inter se conveniant. Unde hausta sint quae sequntur, nondum inventum est, suspicare tamen licet ex ceteris etiam haec a Cicerone petita esse. Quod deinde apud Valerium legimus de Etrusca haruspicum disciplina in civitatem Romanam deducta, excepto numero mirum in modum cum Cic. de div. I 41, 92 facit. cf. Kempf praef. p. 13.

Quomodo factum sit ut de numero inter se abhorrerent non facile perspicitur, verisimile est quod Kempfius adnotavit p. 107 de discrimine, in alterutro scriptore peccatum esse a librariis.

Eundem consensum produnt quae tum apud Valerium sequuntur de Calliphana et de Cerere Hennensi cum Cic. pro Balb. 24, 55 et Cic. Verr. IV, 49, 108. Ad haec unde quae extremo exempli loco habemus orta sint equidem inveni. Pertinent enim haec ad Cic. de har. resp. 13, 28. Legimus

apud Valer. I, 1:	ap. Cic. de har. resp. 13, 28:
Item matri deum saepenumero imperatores nostri, compotes victoriarum, suscepta vota Pessinuntem profecti solverunt.	— nostri imperatores maximis et periculosissimis bellis huic deae vota facerent eaque in ipso Pessinunte ad illam ipsam principem aram et in illo loco fanoque persolverent.

Altera praefatio quam Ciceroni eodem modo debet Valerius, II, 1, 1 de nuptiarum auspicibus ex Cic. de div. I, 16, 28 hausta est. Atque epilogus exempli VIII, 14, 6 de Phidia sumtus est e Cic. Tusc. I, 15, 34.

Jam multis exemplis eandem affinitatem cognoscimus, quae ex ejusdem auctoris libris descripsit. Insuper conferamus, quae apud Valerium sunt IV, 3, 8 de L. Aemilii Pauli abstinentia cum Cic. de off. II, 22, 76.

Valer. IV, 3, 8:

At Perse rege devicto Paulus, cum Macedonicis opibus veterem atque hereditariam urbis nostrae paupertatem eo usque satiasset, ut illo tempore primum populus Rom. tributi praestandi onere se liberaret, penates suos nulla ex parte locupletiores fecit, praeclare secum actum esse existimans, quod ex illa victoria alii pecuniam ipse gloriam occupasset.

Cic. de off. II, 22, 76.

Laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paullus, tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum suam intulit praeter memoriam nominis sempiternam.

Atque etiam in externis exemplis eodem modo Cicero exscriptus est. Valer. I, 1 Ext. 3 jam Kempfius praef. p. 14 opposuit Cic. de nat. deor, III, 34, 83 (de Dionysii sacrilegiis), conferamus hic alios locos, ex quibus idem consequitur.

Valer. IV, 1 Ext. 9.

Antiochus autem a L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus summotus, cum Asiam provinciam vicinasque ei gentes amisisset, gratias agere populo Rom. non dissimulanter tulit, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur. Et sane cet.

Cic. pro rege Dejot. 13, 36.

Etenim si Antiochus, Magnus ille, rex Asiae, cum, postea quam a L. Scipione devictus Tauro tenus regnare jussus est, omnem hanc Asiam, quae nunc est nostra provincia, amisisset, dicere est solitus, benigne sibi a populo Rom. factum esse, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur, potest cet.

Ex artissimo horum locorum concentu jam satis tota Ciceronis libros excerpendi ratio a Valerio adhibita illustratur; res enim eaedem sunt, nisi quod is inanibus verbis eas ad propositum instruxit atque exornavit. Neque pluribus opus erit; quam ob rem significem tantum exempla, quae retentis ipsis verbis ex Ciceronis operibus petita sunt de quibusque ambigere non possumus.

I, 8, 1. In pugna apud lacum Regillum facta Castor et Pollux dimicantes visi sunt — e Cic. de nat. deor. II, 2, 6.

I, 1, 18 (exempli altera pars) Brennus Apollinis templum Delphis ingressus interiit. Hoc exemplum servatum est solum in Paridis et Nepotiani epitomis et fusius quidem apud hunc: quae hic legimus cum Cic. de div. I 37, 81 faciunt. — cf. Kempfium p. 117 et 90, qui hoc loco falso exemplum insertum esse demonstravit: referendum enim potius erat inter externa.

I, 7 Ext. 8 Hamilcaris somnium — e Cic. de div. I, 24, 49.

I, 4, 3 P. Claudius et L. Junius coss. auspicia neglexerunt — e Cic. de nat. deor. II, 3, 7. Etiam hoc exemplum in compendiis tantum legitur, verba tamen plane congruunt cum Cic. l. c,

VIII, 13, 2 L. Metelli aetas (cons. 503 et 507 a. u., pontif. Max. a. 511 a. u.) — e Cic. de senect. 9, 30.

V, 4, 5 C. Flaminius legem de agro Gallico tulit — e Cic. de inv. II, 17, 52; (cf. Brut. 14, 57).

IV, 2, 1 M. Aemilius Lepidus censor creatus 575 a. u. cum M. Fulvio in campo statim rediit in gratiam — e Cicer. de prov. cons. 9, 20.

III, 7 Ext. 6 Hannibal apud Prusiam regem; quae Hannibalem dicentem facit eadem sunt apud Cic. de div. II, 24, 52.

IV, 1, 8 Tib. Gracchi trib. pleb. decretum cum collegis pro L. Scipione intercederet — e Cic. de prov. cons. 8, 18.

III, 6, 2 L. Scipionis statua chlamydata et crepidata — e Cic. pro Rabir. Post. 10, 27.

VIII, 14, 1 Ennii effigies in monumentis Corneliae gentis collocata est — brevius de hac re est Cic. pro Arch. 9, 22 („carus fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore"); a Valerio autem nihil additum inveni, quod quin locus ex eo ortus sit, impediret.

VIII, 2, 1 Claudii Centumali perfidia — e Cic. de off. III, 16, 66.

VII, 3, 4 Q. Fabius Labeo fines inter Nolanos et Neapolitanos constituit — e Cic. de off. I, 10, 33.

I, 5, 3 L. Paulli cons. praeclarum omen; desumptus est hic locus ad verbum ex Cic. de div. I, 46, 103.

I, 8, 1 (2.) P. Vatinio a Castore et Polluce Persen regem victum esse nuntiatum est — e Cic. de nat. deor. II, 2, 6.

II, 1, 7 Verecundia veterum Romanorum in necessitudinibus maxima se praestitit — e Cic. de off. I, 36.

II, 1, 10 In conviviis ad tibias egregia superiorum opera majores Romani canebant — e Cic. Tusc. I, 2, 3 (cf. Tusc. IV, 2, 3 et Brut. 19, 75).

Enumeratis quae sine dubio e Cicerone orta sunt, quorumque consensus comparatione instituta facile patet, ad ea nos vertamus exempla quae eidem scriptori debet Valerius, quae tamen minorem utriusque affinitatem produnt. Nam non solum propter verborum ambiguitatem sed etiam propter levitatem et neglegentiam, qua in exscribendis fontibus usus est, necessarium erit haec diligentius examinare.

Huc pertinet V, 4, 3 T. Manlii pietas erga patrem. —

Mirandum est, quod Valerius etiam L. patri Torquato cognomen tribuerit, cum a Cicerone, quem hic adiit, aperte dictum est de off. III 31, 112:

„T. filium qui postea est Torquatus appellatus" — et inferius: „atque is est Manlius qui — torque detracto cognomen invenerit."

Sed quia ceteris verbis summopere auctores inter se congruunt (— animadvertendum est maxime quomodo Ciceronis simplicia verba „surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adolescentem jussit venire" a Valerio exponuntur et circumscribuntur „excedere omnes jussit cubiculo, quo licentius remotis arbitris judicium perageret") et quia suspicendum non erit, ab alio auctore aliter Manliorum cognomen Torquati explicatum esse, Nostrum neglegentius hunc locum e Cicerone descripsisse decernamus. Fortasse autem sic judicare possumus, ut ille omisso quo modo T. Manlius Torquati cognomen meruerit, hoc exemplo maximam vim in ejus pietate erga patrem ponere voluerit.

Simile quid occurrit V, 5, 1:

P. Scipio Africanus legatum L. fratris in Asiam se iturum promisit in senatu.

Eandem rem nobis tradunt Liv. XXXVII, 1 et Cic. Phil. XI, 7, 17, apud utrumque autem desiderantur verba „qui tametsi artissima familiaritate Laelio junctus erat." Hoc exemplum tamen Ciceroni tribuendum erit, quia Valerii verba ad hunc propius accedunt. Causam vero, cur illa verba addita sint, in iis quaerendam esse puto quae in capitis praefatione de artissimo fraterni amoris vinculo tumidius dicta sunt. Itaque explicandum erit, auctori primo statim exemplo, quantum alias necessitudines antecedat fraternus amor, probaturo in mentem venisse Africanum aliquando cum Laelio familiaritate notabili junctum fuisse.

Spero fore, ut ex his duobus exemplis luculentissime consequatur quod in praefatione contendi, Valerium rhetorici non historici operis auctorem esse voluisse. Colligitur

deinde eum locos ex aliorum scriptorum libris ita quoque desumpsisse, ut pauca ad sententiam suam commutaret aliaque ex ingenio suo adjiceret.

Neque neglegendum est, quod hic illic duorum auctorum locos contraxerit Valerius unoque exemplo comprehenderit. Simile quid jam I, 1 factum esse vidimus, ubi sex Ciceronis sententiae conjunctae sunt.

Quod hic quaeritur occurrit IV 3, 5 et IV, 3, 6.

IV, 3, 5 M'. Curii praeclara continentia — exempli prior pars facit cum Cic. enect. 16, 55, de saltera vero ab alio auctore petita est. Contrarium evenit

IV 3, 6 de Fabricii abstinentia, cujus exempli in altera parte inde a verbis „consentanea repudiatis cet.“ Cic. de sen. 13, 43 presso pede secutus est Valerius.

Quae componendi exempla ratio eam ob causam animadvertenda est, quod ex ea multi errores explicantur: quod jam supra admonuimus p. 11.

Huc accedit

VIII, 13, 5 Appius Claudius Caecus, quo in exemplo aeque ut I, 1 factum est, duos locos a Cicerone fortasse petitos habemus. Quod prius legimus invenitur apud Cicero de senect. 11, 37: „quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et caecus et senex“ cet. — Ad ea, quae sequuntur multos Ciceronis locos contuli — de senect. 6, 16, Tusc. V, 38, 112, pro Caelio 14, 43, Brut. 14, 55, Phil. I 5, 11: ex quibus huc pertinere mihi videtur Phil. I 5, 11 ubi Cicero ait: „aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam causam Appium illum et caecum et senem delatum esse memoriae proditum est.“

Ad haec a Kempfio jam adnotata equidem inveni quae sequuntur.

VIII, 13, 1 M. Valerii Corvi aetas — de numero annorum, qui inter primum et sextum Corvi consulatum intercesserunt Valer. facit cum Cic. de sen. 17, 60. Praeterea quod de agri colendi illius studio a Cicerone dicitur apud Valerium habemus in verbis „sed etiam exactissimae agrorum suorum culturae.“

II, 9, 3 M. Porcius Cato censor L. Flaminium e senatu ejecit — rem e Cic. de senect. 13, 42 hausit Valerius, ubi verba haec sunt: „invitus feci, — ut L. Flaminium — e senatu ejicerem —

sed notandum putavi libidinem. Ille enim cum esset consul in Gallia exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis." — Cf. quae de hac re tradit Liv. XXXIX, 42 et 43. Quae extremo exemplo legimus „de imaginibus et regis Philippi supplicibus manibus" ex Valerii ingenio orta esse puto, qui his verbis fratrem significat.

VIII, 11, 1. Sulpicius Gallus legatus defectum lunae bello contra Persen regem facto praedixit. Locus Ciceronis qui Valerio respondit est de rep. I, 15, 23. Consentiunt auctores de eo quod Sulpicius Paulli legatus fuerit et quod milites defectu lunae perterritos de caeli ratione et natura siderum docuerit. Liv. XLIV, 37 Sulpicium trib. mil. fuisse militibusque pronuntiasse lunam proxima nocte defuturam esse scribit. Cf. Cic. de sen. 14, 49.

Huc accedunt alia exempla, quae e Cicerone potius quam e Livio orta esse puto:

VIII, 1 absol. 1, M. Horatius provocato ad populum judicio absolutus est; de praenomine M. Valerius facit cum Cic. pro Milone 3, 7; apud Liv. I, 26 P. est, qui praeterea non a Tullo rege sed a duumviris damnatum esse Horatium tradit. Apud Ciceronem tamen non invenimus verba „a Tullo rege", sed fieri potest, ut pro illius „nondum libera civitate" haec posuerit auctor noster.

IV, 1, 1 P. Valerius legem de provocatione tulit. A Liv. II, 7 et 8 Valerius non solum de ordine singularum exempli partium discrepat sed etiam multo plura affert: sic praeter cetera leviora et quid lex de provocatione constituerit apud Livium deest et centuriatis comitiis eam latam esse desideramus. Pertinent hic ad Valerium quae leguntur apud Cic. de republ. II, 31, 54 et 55. Narrationis momenta eadem sunt, nisi quod breviorem Ciceronis locum inanibus verbis exornatum atque amplificatum esse videmus. Reprehenditur auctor noster (cf. Kempf. praef. 32 et p. 312) quod numerum lictorum dimidia ex parte imminutam scripserit: qua de re dissentiunt ab eo Liv. II, 1 et Dionys Hal. V, 19; sed non intellexisse mihi videtur Valerius Ciceronis verba „ne plura insignia essent imperii in libero populo quam in regno fuissent." Quodsi ordinem rerum hoc exemplo mutavit Valerius judicandum erit eum levioribus majora anteponenda esse censuisse.

Ab eodem Valerio Publicola Val. Max. VIII, 9, 1 refert plebem a monte sacro revocatam esse, id quod a Liv. II, 33, Dionys. Hal. VI, 49, Plut. Coriol. 6, Victor 18 atque etiam a Valer. IV, 4, 2 ipso Agrippae Menenio tribuitur. Cum hoc Valerii loco (VIII, 9, 1) facit Cic. Brut. 14, 54.

Jam inter Valer. V, 3, Ext. 1 et Cic. pro Sest. 68, 142 majorem consensum interesse quam inter Liv. XXXIII, 47 et illum demonstratur collatione inter hujus et Ciceronis verba.

Valer. V, 3 Ext. 1.	Cic. pro Sest. 68, 142.
Ac ne nostra confessis aliegenae urbes insultent, Karthaginienses Hannibalem, qui pro illorum incolumitate et victoria tot imperatores totque exercitus nostros trucidaverat, quot gregarios milites hostium si occidisset magnae gloriae foret, conspectu suo summovere animum induxerunt.	Quis Carthaginiensium pluris fuit Hannibale consilio, virtute, rebus gestis, qui unus cum tot imperatoribus nostris per tot annos de imperio et de gloria decertavit? Hunc sui cives e civitate ejecerunt.

Aliter Liv. XXXIII, 47*) Africanum reprehendentem facit senatum, quod is perfida in Hannibalem consilia Karthaginiensium adjuvaret.

Atque haec quidem quae protuli exempla sunt, quae sine dubio e Ciceronis libris hausit Valerius; collatio scriptorum summam omnium rerum et verborum similitudinem prodit. Imprimis librum de senectute adhibitum esse videmus atque ex tribus de officiis libris et ex duobus de divinatione omnia, quae a Cicerone afferuntur, paene desumpta sunt.

Dolendum autem est maxime, quod non omnes Ciceronis libri ad nos pervenerunt, nam etiam ex deperditis ejus scriptis multa apud Valerium fluxisse luce clarius est. Huc praecipue referendi erunt quos de republica scripsit Cicero libros, ex quibus primum et secundum aditos esse ab illo jam vidimus. Negandum non est, hujus rei etiam vestigia inveniri posse sed haec valde incerta et dubia sunt.

Sic eorum, quae secundo libro de institutis antiquis et VI, 1 de pudicitia exempla affert Valerius, non pauca ex libris de republica desumta esse verisimile est et potissimum ex quarto, quo libro de institutis, moribus, virtutibus tuendis actum esse ex fragmentis perspicimus. Huc pertinere mihi videntur II, 1, 5 vini usus olim feminis Romanis ignotus erat — cf. Cic. de rep IV apud Non. v.

---

*) Quo Liviano loco respondet Val. IV, 1, 6 (2).

temulenta p. 5; itemque II, 1, 9 juvenes senectuti summum honorem reddebant — (cf. Cic. de senect. 18, 63, Ovid fast. V, 57, Gell. II, 15).

Atque facile ex Cic. de rep. II ortum esse possit IX, 12, 1 Tullus Hostilius rex fulmine ictus cum tota domo conflagravit — desiderantur apud Ciceronem II, 17 paginae duae — tamen § 32 de Tulli morte etiam disputatur; cf. Liv. I, 31, Dionys. III, 35.

Postremo admirabile exemplum attingam:

VII, 2, 2. „P. Scipio Africanus turpe esse ajebat in re militari dicere „non putaram." Quae apud Valerium legimus simillima sunt iis quae Cic. de off. I, 23, 81 de eodem dicto prodit, nisi quod is Africani nomen eo loco non exhibet neque aperte addit „in re militari." — Videri potest utrumque auctorem eundem librum adiisse — fortasse aliquem qui erat de exemplis atque novimus Ciceronem ipsum admirandorum librum scripsisse, cujus pauca fragmenta ad nos pervenerunt.

Quamquam haec ad alteram quaestionis partem jam pertinent, necessarium tamen putavi, hujus rei mentionem facere neque his cognitis dubium erit qnin multa alia nobis occulta sint.

Jam omnem rationem qua fontes suos adierit Valerius ex collatione cum Cicerone cognovimus et quae didicimus duo sunt: ac primum quidem plurimis exemplis auctorem suum presso pede secutus est, paucis deinde aliis Ciceronis verba ad sententiam suam mutavit et ex ipsius ingenio quaedam adjecit. Praeterea animadvertenda ea erunt, quibus complurium scriptorum loci connexi sunt. Eadem apud omnes alios scriptores, quorum libri advocati sunt, videbimus.

§. 2.

Livius.

Venimus ad Livium, cujus ab urbe condita libri per omnes partes exscripti sunt quemque prae ceteris adhibitum esse exemplis ad res Romanas pertinentibus animadvertimus. Atque cognoscitur ex Valerio, quantam brevissimo tempore

libri Liviani auctoritatem consecuti sint neque dubitandum est, quin omnes superiorum scriptorum annales e multorum manibus removerint. Ingenio autem Valerii ejus dicendi atque depingendi ratio magnopere placuit neque ullo verbo mutato locos multos ex eo delatos in usum suum convertit. Quamquam, cum de singulis judicemus, summa diligentia opus erit eo quod multa, quae ex eo hausta esse videntur, alii fonti adscribi debent multoque minus, quam hucusque creditum est, Valerium Livio usum esse jam supra demonstravimus: nam quantum saepe inter se consentiunt, tantum alia ex parte discrepant, ut Livium inspectum esse confiteri non possis.*)

Secundum ea, quae apud Ciceronem cognovimus, aptissimum putavi exempla ita distribuere, ut primum perlustrentur, quae sine dubio ab illo petita sint, deinde quae a Livio Valerius mutuatus esse possit. Vera difficultas nobis tantum iis exemplis affertur, quae ad alterum genus pertinent. Atque huc spectant illi errores quorum jam mentionem feci. Sed cum de numero vel de praenomine tantum inter se dissentirent auctores Livium adhibitum esse negandum non putavi: cum vero accurata pensitatione rerum adducerer minime Valerium erravisse censui, nisi ejus licentia et neglegentia ante oculos versabatur.

Quod attinet rationem, qua e Livio hauserit, praeter cetera majora etiam minoribus documentis usus sum, in quae longiori disquisitione adjuvante incidi. Nam non semper auctori nostro facile erat, latum atque effusum Liviani operis

---

*) Quod exemplum Kempfius praef. 16 ad utriusque auctoris affinitatem probandam protulit, mire scilicet cum Liv. V, 40 facit, neglegendum tamen non est, Valerium narratiunculae illi de Albinio et de virginibus Vestalibus (I, 1, 10) adnectere unde caerimoniarum nomen ortum sit. Non dubium est, quin haec duo artissime inter se cohaereant neque ullo modo sejungi possint. Quam ob rem facile evenire potest, ut in illa fabula referenda omnes auctores iisdem verbis usi sint. Itaque, quamvis valde prior exempli pars cum Livio congruat, hunc locum Livio denegem — cf. quae Paul. Diac. habet v. caerimoniarum p. 44.

genus scribendi in brevius contrahere: quam ob rem longiora potissimum ex eo exempla petita esse ànimadverti. Et est profecto hoc indicium quod raro nos fallit, multaque neglegentius a Valerio descripta ex hac re intelleguntur. Hic quoque illud monebo. Inveniuntur exempla, quibus res similes conjungantur quaeque maxime animos nostros in se convertant oporteat. De his equidem judicem, rarissime evenisse, ut Valerius diversos locos e Livio sumptos componeret, sed paene semper potius similitudo duorum scriptorum vel relationum ejusdem generis eum adduxit ut alteram ex hoc alteram ex illo auctore partem describeret. Quod nobis interdum magna confusione, qua in his rebus versatus est, luculentissime denotatur. Supra jam haec ob oculos posui, cum de erroribus ab auctore nostro commissis loquerer neque pluribus de his opus esse existimo — cf. p. 11.

Sed accedit altera difficultas. Libris enim Livii ab undecimo ad vicesimum usque amissis cogimur, ut per illas partes, in quibus praecipue bella contra Samnites gesta, bellum Tarentinum, primum Punicum bellum descripta erant, epitomas epitomatoresque Eutropium, Florum, Orosium, Frontinum aliosque qui Livium secuti sunt, imprimis Plutarchum, adeamus. Prae ceteris autem quos primo loco commemoravi epitomas et Eutropium, qui accuratissime Livium excerpsit, non neglegendos putavi. Frontinus vero nonnunquam ita cum Valerio facit, ut difficile discernatur huncne inspexerit an eundem fontem; — cf. Valer. II, 7, 4 et 5 atque Frontin. IV, 1, 31 et 32. Atque Florus non raro suspectus nobis est, quod hic illic alios scriptores praeter Livium ascivit et nonnullis quidem locis eosdem ac Valerius — cf. Valer. I, 8, 1 (3) et Flor. II, 12, 15; Val. IX, 2, Ext. 2, et Flor. II, 6, 18.

De exemplis quae huc pertinent tertio loco agetur.

Ac primum quidem sequantur illa quae sine dubio e Livio hausta sunt: quae omnia mirum in modum cum illo consentiunt, necesse tamen erit, hoc compluribus confirmare collatione instituta.

Legimus

apud Valer. I, 1, 11.

C. Fabius Dorsuo memorabile exemplum servatae religionis dedit. Namque Gallis Capitolium obsidentibus ne statum Fabiae gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus umerisque sacra gerens, per medias hostium stationes in Quirinalem collem pervenit: ubi omnibus sollemni more peractis in Capitolium propter divinam venerationem victricium armorum perinde ac victor rediit.

apud Liv. V, 46.

Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae. ad id faciendum C. Fabius Dorsuo Gabino cinctu sacra manibus gerens cum de Capitolio descendisset per medias hostium stationes egressus — — in Quirinalem collem pervenit; ibique omnibus sollemniter peractis eadem revertens similiter constanti vultu graduque — — in Capitolium ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis, cujus haudquamquam neglegens gens est.

Ejusdem generis sunt quae leguntur:

apud Val. IX, 12, 2.

Vix verisimile est in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen: et tamen idem valuit. Nuntiata enim clade, quae ad lacum Thrasymenum inciderat, altera mater sospiti filio ad ipsam portam facta obviam, in complexu ejus exspravit: altera cum falso mortis filii nuntio domi maesta sederet ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Genus casus inusitatum cet.

apud Liv. XXII, 7.

Femlnarum praecipue et gaudia insignia erant et luctus. unam in ipsa porta sospiti filio forte oblatam in conplexu ejus expiratam ferunt: alteram cui mors filii falso nunciata erat, maestam sedentem domi ad primum conspectum redeuntis fllii gaudio nimio exanimatam.

Insuper conferamus cum Liv. I, 11, IX, 6, 1 de Tarpeja, quo in exemplo rerum ordinem paullulum Valerius mutavit id quod multis aliis evenit.

Val. IX, 6, 1.

Romulo regnante Sp. Tarpejus arci praeerat. Cujus filiam virginem, aquam sacris petitum extra urbem moenia egressam, Tatius, ut armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis

Liv. I, 11.

Sp. Tarpejus Romanae arci praeerat. hujus filiam virginem corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat. aquam forte ea tum sacris extra urbem petitum ierat. accepti obrutam armis necavere,

nomine pactam, quae in sinistris manibus gerebant. Erant autem his armillae et anuli magno ex pondere auri. Loco notitum agmen Sabinorum puellam praemium flagitantem, armis obrutam necavit: perinde quasi promissum, quod ea quoque laevis gestaverant, solvisset. Absit reprehensio, quia impia proditio celeri poena vindicata est.

seu ut vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset. additur fabulae, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio laevo gemmatosque magna specie anulos habuerint, pepigisse eam quod in sinistris manibus haberent; eo scuta illi pro aureis donis congesta. sunt qui eam ex pacto cet.

Eandem affinitatem produnt quae hic solum enumerem adnotatis adnotandis.

I, 2, 1. Numae congressus cum Egeria dea — e Liv. I, 19.

I, 4, 1. Attus Navius augur — e Liv. I, 36. Haec duo exempla in compendiis Paridis et Nepotiani tantum servata sunt sed ea etiam iisdem verbis utuntur ac Livius ll. cc. — cf. Kempf praef. p. 16.

VII, 3, 1. Vacca Sabina in Aventino monte Dianae immolata — Liv. I, 45 presso pede sequitur Valerius; idem occurrit:

IX, 11, 1. Vicus Sceleratus — e Liv. I, 48.

VII, 4, 2. Gabii a S. Tarquinio capti — e Liv. I, 54.

VII, 3, 2. Brutus terram matrem osculatus est — e Liv. I, 56.

VI, 1, 1. Lucretia — in brevius redactum esse mihi videtur exemplum ex Liv. I, 58. Contuli etiam Cic. de fin. II, 20, 66, apud quem verba „testata cives“ sed non „cum injuriam suam in concilio necessariorum deplorasset“ habemus.

V, 6, 1. Brutus et Aruns equis in acie concurrunt — e Liv. II, 6.

IX, 3, 6. M. Plaetorius primi pili centurio Mercurii aedem dedicavit — e Liv. II, 27.

IV, 2, 2. Agrippa Menenius collatis sextantibus publice elatus est — e Liv. II, 33, quadrantibus habet Victor 18.

VII, 3 Ext 10 ludis magnis senatus decrevit, ut Volsci abirent — e Liv. II, 37, recognoscitur Livius in verbis, quae latius Valer. „de dubia re et de certo auctore“ facit.

V, 4, 1. Coriolanus ab urbe matronarum precibus defensus est — ex Liv. II, 39 et 40. Longiorem Livii narrationem in brevius contraxit Valerius, apud utrumque tamen memorabilis facti momenta eadem sunt.

I, 6, 5. Monstra a. 295 a. u. credita — e Liv. III, 10. Apud Valerium Volumnio cos. cognomen C. est, apud Livium aliosque auctores P.; praeterea hic omittuntur duo prodigia quae apud

illum antecedunt: „eo anno coelum ardere visum, terra ingenti motu concussa est.“ Quae sequuntur eadem sunt quae hic habemus. Verisimile est,illa a Valerio neglecta esse, quod vulgatiora fuerint. Alteram exempli partem a Liv. XXI, 62 et XXII, 1 petitam non esse jam supra fusius demonstravi — cf. p. 9.

II, 7, 7. L. Quinctius dictator L. Minucium consulatu abire coegit — e Liv. III, 28 et 29.

VI, 1, 2. Verginia — e Liv. III, 47 (cf. Cic. de fin. II, 20, 66 — Kempf p. 462).

IX, 9, 3. Romanorum legati a Tolumnio rege occiduntur — e Liv. IV, 17.

II, 7, 6. A. Postumius Tubertus et T. Manlius Torquatus severe contra filios egerunt — hoc exemplum Livii duobus locis compositum est ejusque prior pars e Liv. IV, 29 orta est, ubi jam uterque imperator commemoratur, altera e Liv. VIII, 7. Optime cadit in rhetoris nostri naturam, quod illa dubia reticet, quae Liv. IV, 29 de Postumii severitate affert. Totum exemplum Valerianum' inanium verborum turba horret.

I, 6, 3. Albanus lacus stagni modum excessit — e Liv. V, 15 sqq.

I, 5, 2. Camillus pro felicitate urbis deos precatus est — e Liv. V, 21.

I, 1 Ext. 4. Timasitheus Liparitanorum princeps — e Liv. V, 28.

VI, 5, 1 (1.) Faliscorum ludi magister perfidus — e Liv. V, 27; principio exempli Camillus consul vocatur, qui nunquam consulatum obtinuit, Valerii errorem ex eo ortum esse puto, quod longior apud Livium relatio in brevius redigenda erat quodque quae antecedebant non inspexit ille.

V, 3, 2 (1.) Camillus in exilium ejectus est — e Liv. V, 32.

IV, 1, 2. Camillus exulans dictator dictus est — e Liv. V, 46.

I, 5, 1. Consilium Vejos demigrandi omittitur — e Liv. V, 55.

VII, 3 Ext. 9. Camillus Tusculum intravit — e Liv. VI, 25 et 26.

VIII, 6, 3. C. Licin. Stolo sua lege accusatus est — e Liv. VII, 16.

I, 7, 3. T. Manlii Torquati et P. Decii coss. somnium — e Liv. VIII, 6; in iisdem verbis versatur Valerius cum Livio.

IX, 3, 4. T. Manlius Torquatus Latinis et Campanis victis triumphans in urbem rediit — e Liv. VIII, 12.

II, 5, 3 prima veneficii quaestio — cum Liv. VIII, 18 consentit Valer. etiam de numero matronarum, multo majorem numerum exhibet Oros. III, 10.

VI, 2, 1. Privernatibus ignoscitur — quaestiones et responsa plane eadem sunt atque apud Liv. VIII, 21.

III, 2, 9. Q. Fabius Max. Rullianus mag. eq. absente dictatore C. Papirio cum Sabinis conflixit — e Liv. VIII, 30 sqq.

II, 7, 8. C. Papirius dictator a Fabio mag. eq. grave supplicium sumpsit — e Liv. VIII, 29—35.

VII, 2 Ext. 17 Herennii Pontii salutare consilium — e Liv. IX, 3.

V, 1 Ext. 5. Capuani Romanum exercitum clade ad Caudinas furcas accepta benigne in urbem suam receperunt — e Liv. IX, 6.

I, 1, 17 Potitii intereunt — e Liv. IX, 29,

II, 5, 4 Tibicines Tibure in urbem reducuntur — e Liv. IX, 30. His duobus exemplis Valerius fontis sui pedissequus est.

II, 5, 2 Cn. Flavius scriba, aedilis curulis factus jus civile fastosque publicavit — e Liv. IX, 46. Alterum exemplum IX, 3, 3 de Cn. Flavio, quo praeturam etiam adeptum esse scribam legimus, non a Liv. IX, 46 petitum est. Cf. p. 8.

II, 2, 9 de Lupercalibus — priore exempli parte Valerius discedit a Livio I, 5 in eo quod Lupercalia non ab Evandro sed a Romulo instituta esse tradit: quae deinde de Fabio censore sequuntur retentis ipsis verbis e Liv. IX, 46 desumpta sunt. Non intelligitur quid distributioni turbae forensis in quattuor tribus commune sit cum lustratione equitum.

VII, 2, 5 Papirius Aequiloniam cepit — e Liv. X, 40 (cf. Oros. III, 22).

Praetermittuntur hic exempla e Liv. XI—XX hausta: de quibus vide inferius. Sequuntur ea quibus Liv. XXII—XLV ascivit Valerius.

IX, 3 Ext. 3 Hannibalis odium contra Romanos; exempli priorem partem — Hannibal novem annos natus in Hispaniam cum patre transvexit — e Liv. XXI, 1 sumtam esse consequitur ex verborum consensu; unde altera inde a verbis „idem significare cupiens“ cet. orta sit non habeo dicere.

III, 3 Ext. 7 Hasdrubal per servum barbarum interemtus est — e Liv. XXI, 2.

I, 7 Ext. 1 Hannibalis somnium — ad verbum respondet Liv. XXI, 22 (cf. Cic. de div. I, 24, 49).

VII, 3 Ext. 8 Hannibal fundo Fabii parcit — e Liv. XXII, 23. Quae antecedenti exemplo VII, 3 Ext. 7 referuntur ad Hannibalem eum pertinent qui a Duilio victus est. Causa cur utrumque confuderit Valerius in eo posita est, ut opinor, quod his duobus exemplis diversos fontes inspexit.

IV, 8 Ext. 1 Hieronis eximia liberalitas — e Liv. XXII, 37,

Valerius auream Victoriam pondo ducentum et quadraginta allatam esse narrat, Livius pondo ducentum et viginti; de ceteris numeris consentiunt atque singula verba etiam summam affinitatem produnt.

VII, 4 Ext. 2 Hannibalis calliditas maxime in pugna Cannensi se praestitit — sententias singulas e Liv. XXII, 46 congessit Valerius.

III, 2, 11 Militis romani fortitudo post pugnam Cannensem — e Liv. XXII, 51.

IV, 8, 2 Busa Apula — e Liv. XXII, 52.

VII, 6, 2 Casilinates ab Hannibale obsessi summam famem libenter tulerunt — e Liv. XXIII, 19 (cf. Cic. de inv. II, 57, 171).

VII, 6, 1 (3.) Literae propraetorum Otacilii et Cornelii Mammulae — e Liv. XXIII, 21.

III, 5 Ext. 5 Theodotus ab Hieronymo tyranno tormentis frustra laceratus est — e Liv. XXIV, 5.

II, 2, 4. Quo exemplo duae narrationes de duobus Fabiis conjunctae sunt, quae verbo „Idem" connectuntur. Quae antecedunt ad Fab. Max. Rullianum ejusque filium Gurgitem pertinere ex verbis „ne hostium Samnitium turba, ad quorum colloquium cet." intellegitur. Quae sequuntur a Liv. XXIV, 44, Plut. Fab. 24, Gell. II, 2 de Fabio Max. Verrucoso ejusque filio traduntur atque hanc quidem exempli partem, quantum ex verborum consensu utriusque auctoris cognoscitur, a Liv. XXIV, 44 petivit Valerius. Errorem autem ita tantum explicare poterimus, ut duas partes diversis fontibus adscribamus auctoremque rerum similitudine (Fabii duo legati filiorum) falsum esse judicemus. Nam si haec duo e Liv. XI et XXII hausisset, certe Fabios illos non eosdem esse animadvertisset.

II, 7, 15 (3.) Summa severitate senatus adversus illos milites usus est, qui apud Cannas rempublicam deseruerant — e Liv. XXV, 5 et 7.

III, 2, 20. Trium Romanorum militum eximia fortitudo se praestitit, cum apud Capuam castra Punica oppugnarentur. Mirum in modum cum Liv. XXV, 14 Valerius facit, sed quod primo exemplo legitur „cum Hannibal Capuam obsideret" plane nobis demonstrat, eum quae apud Livium memorabile factum antecedebant, vel non inspexisse vel non intellexisse — cf. Kempf. ad h. l.

I, 6, 8 Tib. Gracchi fatale sacrificium in Lucanis — e Liv. XXV, 16. Quo exemplo Livii relationem presso pede sequitur Valerius, idem tamen ei accidit quod ad VI, 5, 1 (1) de Camillo consule adnotavi. Atque hic etiam Gracchus consul vocatur, qui eo anno proconsul erat neque ullo dubio vocem „consul" adjecit. Cf. Kempf. p. 141 ad h. l.

V, 1, 3. Duorum hospitum certamen singulare — hunc locum

a Liv. XXV, 18 petitum esse cernitur ex utriusque auctoris verbis, quae simillima inter se sunt:

Valer. V, 1, 3.	Liv. XXV, 18.
Quid de Quintio Crispino loquar, cujus —? Badium Campanum et hospitio benignissime domi suae exceperat et adversa valetudine correptum attentissima cura recreaverat. A quo post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam provocatus — — monere ingratum quam vincere maluit cet.	T. Quintio Crispino Badius Campanus hospes erat perfamiliari hospitio junctus. creverat consuetudo, quod aeger Romae apud Crispinum Badius ante defectionem Campanam liberaliter comiterque curatus fuerat. is tum Badius progressus cet.

Quae deinde sequuntur apud Valerium differunt a Livio: Quintii Crispini longam atque inanem orationem confinxit auctor noster itemque Badium Campanum obtruncatum esse eo proelio ementitus est, cum secundum Livium „Badius priusquam opprimeretur, parma atque equo relicto ad suos aufugit.“ Exemplo autem ad usum rhetoricum instructo ille exitus proelii multo aptior erat.

V, 1, 4 M. Marcellus, Syracusis captis, urbis lugubrem casum deploravit.

Ad hunc locum Kempf. p. 383 Cic. Verr. II, 2, 4 adnotavit, apud quem Marcellum flesse non inveni. Quod hic habemus e Liv. XXV, 24 potius delatum est, cujus verba simpliciora, ut solet, Valerius exornavit.

VIII, 15, 11 L. Marcius eques Romanus — e Liv. XXV, 37.

VI, 4, 1 (2,) Manlius Torquatus consulatum recusavit — e Liv. XXVI, 22; quae in priore exempli parte sunt, ad eundem Manlium pertinent. Ut Valerius non sentiret, de eodem Manlio se dicere, eo factum est, quod illud prius ex alio scriptore ac Livio desumsit. Nam quae de Campanorum arrogantia apud Valerium legimus, valde dissentiunt a Liv. VIII, 5 et ea quae de Sp. Carvilio Liv. XXIII, 22 tradit huc non pertinent. (Huc potius spectant quae dicit Liv. XXIII, 6, ubi de Campanorum defectione verba facit). Cf. Kempf. p. 492.

II, 3, 3 Q. Navius centurio velites instituit — e Liv. XXVI, 4, cf. Frontin. IV, 7, 29.

III, 8, 1 Q. Fulvius Flaccus senatum Campanum interfici jussit — e Liv. XXVI, 14 et 15.

III, 2 Ext. 1 T. Vibellius Taurea Campanus se ipse perfodit — e Liv. XXVI, 15.

I, 2, 2 P. Scipio Africanus Major Jove genitus credebatur —

locus qui a Paride et Nepotiano tantum servatus est e Liv. XXVI, 19 haustus esse videtur (cf. Gell. VII, 1, 6; Victor 49).

V, 2, 1. Duabus Campanis mulieribus senatus Romanus gratias retulit — e Liv. XXVI, 33 et 34.

III, 8, Ext. 1 Dasius Marcello Salapiam oppidum tradidit — e Liv. XXVI, 38.

V, 1, 7. Scipio Africanus Major Massivam captum dimisit — e Liv. XXVII, 19. Valerius falso hoc factum ad Scipionem Aemilianum retulit idemque quod supra jam saepius monui nobis occurrit. Locus enim V, 1, 6 de Aemiliani humanitate e Cic. Verr. IV, 33, 73 desumtus est — cf. p. 11.

VI, 9, 3 C. Valerius Flacc. flamen factus est — e Liv. XXVII, 8.

IV, 2, 2 C. Claudius Nero et M. Livius inimicissimi inter se coss. creati sunt — e Liv. XXVII, 34.

IX, 3, 1 Livii Salinatoris responsum Q. Fabio Max. datum — e Liv. XXVII, 40.

VII, 4, 4 C. Claudius Nero ad opem collegae ferendam in Umbriam festinavit — e Liv. XXVII, 43—46, maxime e cap. 46.

III, 7, 4 M. Livius Gallis et Liguribus sparsis parcit — e Liv. XXVII, 49.

IV, 1, 9 M. Livii triumphum C. Claudius Nero ovans secutus est equo albo — e Liv. XXVIII, 9.

I, 1, 6 P. Licinius pontif. max. virginem Vestalem flagro caedi jussit — e Liv. XXVIII, 11.

VII, 3, 3 P. Scipio Afrfcanus Major in Sicilia trecentos equites armavit — e Liv. XXIX, 1 qui clarius et latius haec narrat.

III, 6, 1. Idem in Africam trajecturus in Sicilia gymnasio operam dedit — e Liv. XXIX, 19, apud quem Q. Fabius Max. Scipioni id crimini dat.

II, 9, 6 (M. Livius et C. Claudius censores a. 550 a. u. — uter-
VII, 2, 6 (que locus retentis ipsis verbis e Liv. XXIX, 37 ortus est.

IX, 8, 1 Scipio ad Syphacem in Africam trajecit e Liv. XXX, 13. (Cf. Liv. XXVIII, 17).

VI, 9 Ext. 7 Syphax rex summam fortunae iniquitatem expertus est — e Liv. XXX, 12 (cf. c. 17) cf. Liv. XXVIII, 18.

VIII, 13, 3 Q. Fabius Max. auguratus sacerdotium duobus et sexaginta annis sustinuit — e Liv. XXX, 26.

II, 7, 12 Africanus Major graviter in Latinos et Romanos transfugas animadvertit — e Liv. XXX, 43.

V, 1, 1 (2.) Syphax rex Tiburi mortuus est — e Liv. XXX, 45.

IV, 1, 6 (2.) Africanus Major causam Hannibalis in senatu protexit — e Liv. XXXIII, 47.

VI, 2 Ext. 2 Orgiagontis regis uxor a centurione stuprum pati coacta est — e Liv. XXXVIII, 24.

VI, 6, 3 L. Minucius et L. Manlius Carthaginensibus per fetiales dediti sunt — e Liv. XXXVIII. 42. Valerium Livii verbis de coss. M. Aemilio Lepido et L. Flaminio in errorem detractum esse Kempfius p. 509 luculenter demonstravit.

III, 7, 1 — cujus exempli quarta pars e Liv. XXX, 29, quinta et sexta e Liv. XXXVIII, 55 petitae sunt, pertinent haec ad Scipionem Afric. Maj., reliquae exempli partes e Livio ortae non sunt.

IV, 1, 6 (1.) Africano Majori senatus maximos honores decernere voluit — e Liv. XXXVIII, 56; quamquam mutato ordine honores refert Valerius, consensus tamen perspicuus est.

IV, 2, 3 inimicitiae Africani et Tib. Gracchi a senatu sepositae sunt — hic locus e Liv. XXXVIII, 57 sumtus est, ubi Tib. Gracchus in oratione haec affert.

VI, 3, 7. Multae mulieres, quae sacris Bacchanalibus inceste usae fuerant, damnatae sunt — e Liv. XXXIX, 18.

I, 1, 12 Numae regis libri reperti sunt, — e Liv. XL, 29, verba paene eadem apud utrumque sunt — (cf. Festum v. Numam Pompilium p. 173).

I, 5, 9 Petilius cons. ad montem Letum cecidit — e Liv. XLI, 18.

II, 2, 1 Summo silentio senatus usus est — e Liv. XLII, 14.

VI, 5, 3 A Tib. Graccho et C. Claudio censoribus P. Rutilio dies dicta est — e Liv. XLIII, 16.

V, 1, 8 Perseus captus in castra Romana ad Paullum ductus est — e Liv. XLV, 7.

VI, 4, 3 C. Popilius ad Antiochum regem legatus missus est — e Liv. XLV, 12. Mire etiam cum Valerii verbis congruit Cic. Phil. VIII, 8, 23, sed apud hunc non est „Antiochum manum Popilio porrexisse“ et deinde „Popilium manum apprehendisse.“

V, 1, 1 (4.) Musochanes Masinissae filius Brundisium aeger delatus est — consentit mirum in modum Valer. cum Liv. XLV, 14 nisi quod apud hunc nomen Misagenis legitur.

V, 10, 2 L. Aemilius Paullus de morte filiorum queritur — e Liv. XLV, 40 et 41.

V, 1, 1 (5.) Prusias rex Romae benigne receptus est — e Liv. XLV, 44.

Atque haec quidem series eorum exemplorum est quae sine dubio orta sunt e Livio: cujus verba maximam partem retinuit Valerius nisi quod hic illic tumidam atque elatam

scribendi rationem majoribus etiam ornamentis superavit. Libentissime orationes apud Livium insertas sine ulla mutatione assumsit. Quomodo singulis locis inter se discrepent adnotavi et demonstravi discrimina leviora esse facileque intellegi atque explicari posse. Jam ex collatione instituta cognoscitur quae licentius Valerius descripserit omnia ad hoc unum redire quod exempla ad rhetoricum usum instruxerit. In ceteris quae ad facta dictaque ipsa pertinent semper ex fonte suo totus pendet.

Idem de iis dicendum erit exemplis quae nunc sequantur. Inter haec et illa priora hoc tantum interest quod illa discrimina aliquanto majora nobis occurrunt. Atque hic potissimum evenit id quod jam supra saepius admonui, ut iis praecipue licentia et neglegentia exemplis cernatur quae ex longiore apud Livium relatione in brevius auctor contraxit. Qua in re tamen animadvertemus, ita eum versatum esse, ut quod caput rei erat a Livio petitum in usum suum converteret, cum minora quae intercedebant, omitteret. Sed opus erit singula quaeque huc pertinentia diligentius perlustrare.

VII, 4, 1 Mettii Fufetii perfidia. Hunc locum e Liv. I, 27 sumtum paullulum mutavit Valerius; apud eum „Tullus concitato equo omnes pugnantium globos percurrit, praedicans suo jussu secessisse Mettium eumque cum ipse signum dedisset invasurum Fidenatium terga," cum apud Livium Tullus eadem ad equitem, qui regi nuntium attulerat, haec loquitur „ut hostes exaudirent." Hoc levius habui quam quod Livio hoc exemplum denegem, nam cetera verba summum consensum produnt.

IX, 3, 5. Romanorum equitatus Fabio cons. et iterum Appio duce voluntaria fuga terga dedit. Habemus hic duo exempla atque primum quidem e Liv. II, 43 adhibitum esse potest; cum hoc ponimus, non intellectis Livianis verbis „nam cum consul praeter ceteras imperatorias artes, quas parando gerendoque bello edidit, ita construxisset aciem, ut solo equitatu emisso exercitum hostium funderet insequi fusos pedes noluit"
a Valerio peditatum in equitatum commutatum esse judicandum est, fortasse quod aptius ei videbatur, equitatum prosequentem facere.

Altera exempli pars inde a verbis „illa vero etiam Appio duci cet.“ e Liv. II, 58 et 59 contracta est.

VI, 3, 1 continentur quinque exempla, quorum tria priora huc pertinent: de M. Manlio, Sp. Cassio, Sp. Maelio.

De M. Manlio cum Valerio consentit Liv. VI, 20 (sec. Gell. N. Att. XVII, 21, 24 idem a Varrone tradebatur), mirandum autem est, quod unam notam solum Valerius refert, cum duas apud Liv. VI, 20 legimus. Certe tamen hunc locum a Livio mutuatum esse, primum similitudo verborum comprobat, quae uterque de saxo Tarpejo facit; deinde Livii verba „ubi nunc aedes atque officina Monetae est“ sic redduntur a Valerio „ubi nunc aedem Monetae videmus.“ (Cf. Valerium I, 8, 3).

Magis dubitandum est de exemplo quod sequitur de Sp. Cassio. Apud Liv. II, 41 legimus,

„patrem supplicii auctorem fuisse, apud quosdam autem scriptum esse a quaestoribus Caesone Fabio et L. Valerio diem dictam perduellionis damnatumque populi judicio, dirutas publice aedes. ea est area ante Telluris aedem.“

Quo ex Liviano loco desumserit, Sp. Cassium tres magnificos consulatus gessisse et bis triumphasse non inveni. Neque verisimile mihi videtur, Valerium Liv. II, 17; 33; 41 inspexisse, ut haec afferre posset. Praeterea Liv. II, 17 unum tantum Cassii triumphum commemorat neque eum speciosissimum fuisse intellegimus ex verbis

„consules magis ob iras graviter ultas, quam ob magnitudinem perfecti belli triumpharunt.“

Quam ob rem hunc locum a Livio petitum esse nego (cf. Cic. de rep. II, 35).

Tertium exemplum de Sp. Maelio e Liv. IV, 16 sumtum esse videtur, nam verba paene eadem sunt:

Val. VI, 3, 1.	Liv. IV, 16.
Eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multavit. Area vero domus ejus, quo justitia supplicii notior perveniret, Aequimaelii appellationem traxit.	Domum deinde, ut monumento area esset oppressae nefariae spei, dirui extemplo jussit. id Aequimaelium appellatum est.

Cic. de domo de Aequimaelio discrepat 38, 101 — diversumque ordinem secutus est.

V, 5, 2 M. Fabius delatum sibi triumphum recusavit, quia eo proelio Q. Fabius frater ejus consularis fortissime dimicans occiderat — e Liv. II, (46 et) 47; — reticetur altera causa a Valerio, quam ap. Liv. II, 47, legimus, quod etiam alter consul Cn. Manlius ceciderat. Exempla tamen quae V, 5 congeruntur de pietate erga

fratres sunt atque ut eam maxime in Fabio laudaret, propositum fuisse existimo Valerio: quam ob rem alteram causam praetermitteret.

IV, 1, 4 L. Quinctius Cincinnatus continuationem consulatus recusavit — e Liv. III, 21. De eo quod tribuni pleb. Quinctii moderationem secuti esse dicuntur neque a Livio neque ab alio scriptore traditur. Verisimile est, rem confinxisse Valerium.

VIII, 15, 5 M. Valerius Corvus duabus rebus insignis — locus e Liv. VII, 26 contractus esse videtur (cf. Gell. IX, 11 et Victor 29).

V, 2, 4 Q. Fabius Max. Cunctator subsidio suo Minucium mag. eq. conservavit in Samnio: liceat copiosius hoc exemplo comprobare, quomodo longiores locos Livii excerpserit auctor noster. Quod hic habemus narratur a Liv. XXII, 25--29.

Liv. XXII, 25 de aequando magistri equitum et dictatoris jure legem rogat M. Metellus trib. pleb.; quae lex perfertur cap. 26. Deinde cap. 27 exercitum dividunt Q. Fabius et M. Minucius et cap. 28 Hannibal cum Minucio conflixit. Quae his capitibus continentur Valerius coegit primo exemplo; quae apud eum sequuntur desumta sunt ex Minucii oratione apud milites habita cap. 29. Quin hoc exemplum e Livio quaesitum sit, impedire mihi non videtur, quod Minucius apud hunc loquitur: „vos milites eos quorum vos modo arma, dexterae texerunt patronos salutabitis“ — cum apud Valerium habemus „Fabium patronum militibus salutari voluit.“

(De alio Fabio cogitandum erit V, 2, 3).

Cum V, 2, 4 ad arbitrium rem mutasse Valerium videamus, aliter errorem sequenti exemplo commissum explicare debebimus.

De Fabii Cunctatoris eximia constantia agitur etiam

III, 8, 2, quod exemplum quamquam ab antecedenti abhorret in eo quod senatus consulto dictatori Minucium mag. eq. jure imperii aequatum esse Valerius scribit, nihilominus e Liv. XXII, 23—26 haustum esse videtur. Erroris causam in Livii verbis positum esse, puto, quae extremo capite 26 habemus „acceptis in ipso itinere literis senatus de aequato imperio, satis fidens hautquamquam cum imperii jure artem imperandi aequatam cumque invicto a civibus hostibusque animo ad exercitum rediit.“
Simillimae laudes sunt, quae a Valerio tribuuntur Fabio. Quae legimus primo exemplo de pecunia pro captivis Hannibali soluta e Liv. XXII, 23 delata sunt. Liberius Nostrum in hoc loco versatum esse minusque eum ex fonte suo pendere satis probat verborum turba, qua memorabilis facti narratio horret.

V, 6, 7 Scipio Africanus Major trib. milit. Q. Metellum sociosque ejus jurare coegit, se nunquam patriam relicturos esse —

dissentiunt de Metelli praenomine inter se auctores, L. Metellum Liv. XXII, 53 habet, cum a Valerio II, 9, 8 et a Liv. XXIV, 18 et XXVII, 11 M. vocatur, praeterea autem summa similitudo intercedit inter Valerium et Liv. XXII, 53. Equidem cum Kempfio consentio, Q. praenomen omnino esse delendum. (Cf. Kempf. p. 440).

IV, 1, 7 Siculorum legati de M. Marcello quest· sunt — e Liv. XXVI, 26 et 29—32.

Hic etiam exemplum habemus quod, nullo tamen errore a Valerio commisso, compluribus Livii capitibus compositum est. Cujus partes facile cognoscuntur ex Valerii verbis et Livii relatione collatis.

IV, 8, 5 T. Quinctius Flamininus Graecis libertatem renuntiari jussit — eadem paene verba apud Liv. XXXIII, 32 habemus, apud eum autem non perhibetur „aves, quae supervolabant, clamore attonitas paventesque decidisse."

Nihil obstare existimo, quin hoc additamentum auctori nostro ipsi attribuamus.

IX, 1, 3 Feminae effecerunt, ut lex Oppia tolleretur — apud Liv. XXXIV, 8 matronae Bruttorum domum obsident et cap. 1 legimus quid lex vetuerit, cujus in singulis partibus praeterea diverso ordine Livius utitur.

II, 4, 3 Senatorum in theatro sedes discernuntur P. Scipione Africano Tib. Longo coss. 558 a. u. (560 Varr.). Duo hoc loco vitia nobis occurrunt, unum quod aediles Africani posterioris secutos esse sententiam scribit Valerius — unde hic error ortus sit non habeo dicere, sed verisimile est eum ad Valerium ipsum pertinere qui rarissime novisse videtur, de quo Fabio (II, 2, 4 et V, 2, 3 et 4) vel Scipione (V, 1, 6 et V, 1, 7 — cf. etiam V, 5, 1) vel Manlio (VI, 4, 1) exemplum afferret, nisi aperte in fonte suo cognomen appositum erat itaque facile evenire potuit, ut cum ipse cognomen vel aliud discrimen adjiceret, falsum eligeret; — deinde a Liv. XXXIV, 54 de ludis abhorret, quibus loca senatoria primum a populo secreta sint. Commemorantur autem apud Liv. l. c. etiam ludi scenici Megalesia quos Atilius Serranus et L. Scribonius primi fecerunt atque omissum esse puto a Valerio quod postea de ludis Romanis traditur. (De Megalesibus dicitur etiam a Cicero de harusp. resp. 12, 24 — cf. Ascon. in Corn. p. 169 ed. Orelli). Sed Livium hic inspectum esse maxime eo censeo, quod eundem numerum annorum (558 a. u.) uterque exhibet quaeque postea sequuntur insigniter cum Valerio conspirant.

VIII, 1 damn. 1 L. Scipio Asiaticus damnatus est — locus ex

oratione a P. Scipione Nasica ap. Liv. XXXVIII, 58 facta mihi videtur esse desumtus.

Restat ut illos locos significemus quos ex deperditis Livii libris XI—XX Valerius petivit: quibus adjumentis in his dijudicandis usus sim, supra commemoravi — cf. p. 25. Verisimile est non multa nobis hic occulta esse, cum quae auctor noster ex illis libris descripsit, notabilia potissimum facta essent, quae etiam epitomatores illi e Livio desumere coacti erant.

Sunt quaedam quae sine ulla dubitatione Livio tribui possunt, quia cum epitomis et epitomatoribus mirum in modum consentiunt. Atque Livium inspexisse videtur Valerius:

I, 8 Ext. 19 — ubi etiam Livii nomen laudatur — Atilii Reguli exercitum anguis insigni magnitudine apud Bagradam fluvium vexavit — cf. Liv. ep. 18. — Oros. IV, 18; Flor. II, 2, 20.

Magnam affinitatem etiam produnt quae de Q. Metello pontifice perhibentur.

ap. Valer. I, 1, 2.	Liv. ep. 19
Metellus vero pontifex max. Postumium cons. eundemque flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, multa dicta urbem egredi passus non est religionique summum imperium cessit cet.	Caecilius Metellus pontifex max. A. Postumium cons., quoniam idem et flamen Martialis erat, cum is ad bellum gerendum proficisci vellet, in urbe tenuit nec passus est a sacris recedere.

Idem occurrit consensus in iis quae de Claudia habemus apud Val. VIII, 1 daum. 4, et Liv. ep. 19.

Quodsi cetera eodem modo comprobare non possumus, propius tamen hic ad veritatem accedere licet. Quam ob rem primum proferamus quae majorem minoremve verisimilitudinem habent, quod e Livio adhibita sint. In quibus exquirendis optimas nobis utilitates epitomae et Eutropius afferunt.

V, 7, 1 Fabius Maximus Rullianus filii legatus — ep. 11 haec habet verba: „ejus consiliis et opera filius consul adjutus caesis Samnitibus triumphavit; paene eadem legimus apud Eutrop. II, 9; cf. Oros III, 22.

I, 8, 2 Aesculapius ab Epidauro accersitus — ep. 11 non discedit a Valerio.

Propter solam exempli longitudinem Livio hunc locum adscribam. Idem dicendum erit de eo quod sequitur.

I, 8, 6 Mars Romanis contra Bruttios atque Lucanos auxilium tulit; in ep. 11 haec sunt verba: „item adversus Lucanos, contra quos auxilium Thurinis ferre placuerat;“ cf. Ammianus Marcell. XXIV, 4, 24.

II, 2, 5 Tarentini Romanorum legatos foede tractarunt — res obiter commemoratur in ep. 12 et ap. Eutrop. II, 11. Valerium hic rem non in majus extulisse colligitur ex Flori verbis I, 18.

V, 1 Ext. 3 Pyrrhi regis mitis animus — num exempli prior pars e Liv. XIII, orta sit, non habeo dicere — apud Plut. apopthegm. regum Pyrrhi 6. idem invenimus — cf. etiam Plut. Pyrrh 8. Cass. Dion. exc. Vat. ap. Maj. coll. II p. 178; altera vero pars ad Fabricii legationem pertinet — cf. Eutrop. II, 12.

II, 7, 15 (2) severitate summa in eos, quos Pyrrhus sine pretio remiserat, captivos senatus usus est — in ep. 13 solum est: „captivi sine pretio remissi sunt.“ Secundum ea, quae ap. Eutrop. II, 13 legimus: „tum Romani jusserunt, captivos omnes quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, quod armati capi potuissent nec ante eos ad veterum statum reverti quam binorum hostium occisorum spolia retulissent“ — hoc exemplum Livio tribuere possumus (lib. XIII). cf. Frontin. IV, 1, 44.

IV, 3, 14 Pyrrhus Romanos donis tentavit — ad Cineae legationem pertinere haec videntur, cf. Liv. ep. 13, Eutrop. II 12, Plut. Pyrrh. 18.

II, 9, 4 Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu movit, quod is decem pondo argenti facti haberet — haec sunt verba quae epit. 14 habet quaeque cum Valeriovalde faciunt.

II, 7, 15 (6) Grave supplicium sumtum de militibus, qui Rhegium occupaverant — cf. Liv. ep. 15, Frontin. IV, 1, 38.

VI, 6, 5 Q. Fabius et Cn. Apronius aediles Apolloniatibus dediti sunt — cf. Liv. ep. 15.

IX, 1 Ext. 2 Volsiniensium urbs a servis vexatur — cf. Liv. ep. 16; Flor. I, 21, Victor 36; Oros. IV, 5; Zona. VIII, 7; ex quibus auctoribus copiosissimus de hac re est Flor. I, 21.

I, 1, 14 M. Atilius Regulus a Xanthippo et Hasdrubale capitur — ex Cic. de off. III 25, 99 hunc locum Valerius non mutuatus est, nam secundum Ciceronem a Xanthippo et Hamilcare captus est Regulus. Quam partem in hac re susceperit Hamilcar intellegimus ex

Eutrop. II, 21, Hasdrubalesque duos Carthageniensium duces fuisse cum Xanthippo ex Oros. IV, 9.

II, 8, 2 C. Lutatius cons. et Q. Valerius praetor de jure triumphandi inter se contendunt — hoc exemplum quod longius est et propter orationem insertam Livio adscripsi (lib. XIX) — Eutrop. II, 27 prorsus Lutatium vulneratum fuisse scribit.

VI, 5, 1 (2.) Falisci a Q. Lutatio cons. victi in ditionem Romanam redeunt — cf. Liv. ep. 19, Eutrop. II, 28; Oros. IV, 6, Zonar. VIII, 28. Liv. ep. 19 haec habet „Falisci cum rebellassent sexto die perdomiti in ditionem venerunt." Paullo plura Eutrop. II, 28 servavit — „ceteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato."

Minus certe de ceteris judicari potest quae maximam partem Valerius solus tradit: liceat ea hic afferre singulis argumentis appositis.

III, 7, 10 Carthaginienses bello contra Pyrrhum gesto 130 navium classem in Romanorum praesidium mitunt — ep. 13 haec sola habet „cum Carthaginiensibus quartum foedus renovatum est." Apud Just. XVIII, 2 idem proditur quod a Valerio hic narratur, dissentit tamen ille de numero navium (120) neque ego hoc exemplum Pompejo Trogo adscribere ausus sum, quod non perspicuum est, hunc etiam in rebus Romanus adhibitum esse.

V, 1 Ext. 4 Pyrrhi regis interitus — atque hic etiam primum de Pompejo Trogo cogitavi, sed de Heleno Pyrrhi filio Valerius a Justin. XXV, 5 abhorret („captivum ad se petractum" legitur apud Valer., ap. Justin. „Antigonus filium ejus Helenum cum Epiroticis sibi deditum in regnum remisit cet."), quam ob rem verisimilius est auctorem nostrum hic Livium XIV adiisse — cf. Eutrop. II 14.

IV, 3, 9 Quattuor legati ad Ptolemaeum regem a Romanis missi sunt — cf. ep. 14, cum Ptolemaeo Aegypti rege societas juncta est" — Eutrop. II, 15. Zonar. VIII, 6.

VI, 6, 2 Hanno a ducibus Romanis liberaliter tractatus est — de quonam proelio navali senserit Valerius, a Kempfio (p. 509) ad hunc locum luculenter demonstratum est — cf. Cass. Dion. exc. Vatic. n. 63 p. 183 — Zonar. VIII, 12. Ap. Liv. ep. 17 et Flor. II, 2, nihil de hac re inveni.

V, 1, 2 L. Cornelius cons. primo bello Punico corpus interfecti ducis Hannonis extulit — cf. Liv. ep. 17, Flor. II, 2, 15 Eutrop. II, 20, Oros. IV, 7. Hannonem a Cornelio sepultum esse ap. Valerium solum legimus.

VI, 9, 11 Cn. Cornelius Asina, cum a Carthaginensibus captus

esset, iterum consul creatus est — hoc commemoratum fuisse existimo ap. Liv. XVIII.

II, 7, 4 C. Cotta P. Aurelium propinquum virgis caedi jussit — Frontin. IV, 1, 31 eadem paene verba habet, sed num uterque e Liv. XVIII an Frontinus e Valerio hauserit, decernere non audeo (ap. Frontin. IV, 1, 32 etiam quod sequitur exemplum II, 7, 5 legimus — cf. etiam IV, 1, 30). Cottae cons. nomen est apud Oros. IV, 11.

V, 1, 1 (1.) Captivorum magnus numerus Carthaginiensibus sine pretio redditus est — Kempfius p. 378 de ducentis illis captivis cogitavit, qui sec. Liv. XXX, 43 sine pretio redderentur, si pax convenisset; quod hic narratur valde ab illo Liviano loco discedit. Huc potius referendum esse puto quod apud Eutrop. II, 27 est: „etiam Carthaginienses petiverunt, ut redimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus jussit, sine pretio dari eos qui in publica custodia essent. Qui autem a privatis tenerentur, ut pretio dominis reddito Carthaginem redirent atque id pretium magis ex fisco quam a Carthaginiensibus solveretur."

Postremo etiam Cassiodorum adii apud quem in chron. a. u. 524 servatum est Hamilcaris dictum de quattuor filiis quod a Valerio IX, 2 Ext. 2 profertur — Cssiod. l. c. „M. Aemilius et M. Junius. His coss. Hamilcar Hannibalis pater in Hispania bellum Romanis parans occisus est. hic solitus dicere, quattuor filios contra populum romanum velut catulos educare." Livium jam vicesimo libro de Carthaginensium bellis in Hispania Hamilcare duce gestis scripsisse ex initio vicesimi primi liquet: quae sequuntur ad Hamilcaris mortem adnectuntur; cf. Liv. XXI, 2, 3.

Jam perlustratis quae ex Livii deperditis libris desumta esse possunt quorumque non multa dubia atque obscura sunt, ad finem perveni ejus quaestionis, quam instituere mihi proposui.

Quae Ciceroni et Livio debeat exempla ex iis, quae ad priora rerum Romanarum tempora pertinent, vidimus et singulis diligentius examinatis nunc certum judicium ferre possumus: neque quod supra de his constituimus et ex auctoris ipsius praefatione collegimus, rhetoricum non historicum opus scribere eum voluisse, falsum esse intelleximus. Qua ex re multa et quae mutaverit et quae adjecerit explicanda esse demonstravi: sed de iis, quibus hoc fieri non potest, ita decernendum erit, ut

ex illis auctoribus adhibita non sint. Atque eorum exemplorum etiam, quae propter graves et certas causas Ciceroni et Livio denegare cogimur, magnus numerus est. Quae, quamquam in iis dijudicandis ad illos semper recurrendum erit, ad eam quaestionem pertinere mihi videntur, quae est de reliquis Valerii fontibus, qui nobis servati non sunt: et hic probandum esset quomodo Valerius ab illis discrepet, ut neque eos advocatos esse neque hunc erravisse putandum sit.

Necesse erat unumquodque exemplum diligentius respicere ejusque rationem accuratius considerare ut sineulla dubitatione dici posset, utrum Ciceroni vel Livio adscribendum esset necne. Quam ob rem non alienum a proposito esse puto animo percensere, quae ratio exemplorum ex illis auctoribus advocatorum sit: nam ex his posteriori quaestioni eveniat unde exordium capiamus. Magnum discrimen inter ea quae e Ciceronis et quae e Livii libris orta sunt facile inveniri non possit, majus tamen momentum habere mihi videtur quid iis prae ceteris commune sit. Omnium enim exemplorum quae a Valerio proferuntur pars una ad res gestas Romanorum altera ad antiquitates pertinet. Itaque cum oculos referamus ad ea, quae enumeravimus, maxime praeclarorum virorum facta dictaque memorabilia a Cicerone et Livio petita esse animadvertimus: eorum autem exemplorum, quae de rebus antiquis agunt, multo minora ab iisdem fontibus Valerius mutuatus est. Jam eorum, quae reliquerunt, major pars ad antiquitatis monumenta spectat — lib. I et II —, cum pauca quaedam admiranda restant quae quod ab illis scriptoribus abhorrent, non ex iis potius quam ex alio libro desumpta esse debent.

Qua ex ratione exemplorum reliquorum certe consequitur, ut praeter ceteros maxime auctor noster librum adierit, qui erat de antiquitatibus. De quonam illustri auctore hic cogitandum sit, facile cognoscitur. Atque legimus Varronis nomen apud Valer. III, 2, 24 multaque documenta sunt, cur

hunc locum ex Varrone ipso haustum esse judicemus.*) Quo scriptore Valerium usum esse optime iis exemplis comprobari potest quae Kempfius Dionysio Halicarnassensi tribuere videtur (praef. p. 22).**) Praeterea autem in singulis detegendis adjumenta nobis non desunt.

---

*) III, 2, 24 de L. Sicinii Dentati fortitudine agitur, perhibentur certamina ejus, victoriae praemiaque reportata cet. Varronem hic inspectum esse a Valerio confirmatur per Fulgentium expos. serm. antiq. v. nefrendes sues: — et apud Romanos, Varro scripsit Sicium Dentatum centies et vicies pugnasse singulari certamine — et istum primum fecisse sacrum Marti."

Verisimile est, hoc in Varronis de antiquitatibus libris infuisse, non solum quod de sacro agitur, sed etiam quod praemia militaria huc pertinent — cf. Fest. v. obsidionalis corona p. 190 edid. Müller — et „monumenta" quae a Nostro commemorantur eosdem libros esse, quia de Varronis monumentis nihil aliud notum est. Cf. Kempf. p. 261.

**) Liceat pauca huc spectantia hic afferre:

I, 1, 7 Aemilia Vestalis — factum praeter Nostrum ap. Dionys. II, 68 legimus, qui cum illo consentit; apud hunc tamen desideramus id quod Valerius scribit „(carbasum) quem optimum habebat," quod minime omittendum esse mihi videtur. Atque Dionysius ipse Varronem laudat II, 21 multumque eum adiit in eodem libro totumque locum de sacerdotum collegiis a Romulo constitutis ex Varronis antiqq. rer. div. lib. II desumsit qui erat de pontificibus — cf. Merkell. praef. ad Ovid. fast.

Jam clarius elucebit quod contendo ex eo quod sequitur exemplo:

I, 1, 13 Tarquinius Superbus M. Atilium duumvirum culleo insutum in mare abjici jussit. Dionys. IV, 62, cum de libris Sibyllinis verba facit idem factum narrat atque in extremo capite ait: λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάρρων ἱστόρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ; sed quamvis valde cum Nostro faciat Dionysius, apud eum non inveni causam, cur Tarquinius supplicium grave a duumviro sumserit neque a Valerio conficta esse possunt verba „quod corruptus Petronio Sabino (librum) describendum dedisset." —

Similiter suspicor eodem fonte Dionysium et Valerium (scilic. Varrone) usum esse I, 8, 7 ap. Val. — Dionys. I, 67; itemque I, 8, 4 Val. et Dionys. VIII, 56; Valer IV, 3, 4 et Dionys. VI, 94.

(Idem judicandum erit de affinitate quae inter Valerium et Diodorum interest atque omnino alienum fuisse puto a consilio rhetorici operis Graecos scriptores advocare).

Sed multo majores difficultates habent ea quae ad res Romanas pertinent, quae neque ex Cicerone vel Livio orta sunt neque Varroni adscribi poterunt. Ad quem vel ad quos inter illustres auctores haec pertinent non facile est demonstrare.

Satis erit harum rernm mentionem fecisse: quod proposui ad finem mihi perduxisse videor.

Postremo tabulam adjiciam eorum locorum qui in hanc quaestionem venerunt.

Tabula locorum singulorum.

Liber primus.

Caput 1.

I, 1, 1. Cic. de har. resp. 9, 18; Valerius (Cicero?); Cic. de div. I, 41, 92; Cic. pro Balbo 24, 55; Cic. Verr. IV, 49, 108; Cic. de har. resp. 13, 28.
I, 1, 2. Liv. XVIIII (cf. ep. 19).
I, 1, 6. Liv. XXVIII, 1.
I, 1, 11. Liv. V, 46.
I, 1, 12. Liv. XL, 29.
I, 1, 17. Liv. IX, 29.
I, 1, 18. (de Brenno) Cic. de nat. deor. I, 37, 81.
I, 1 Ext. 3. Cic. de nat. deor. III, 34, 83.
I, 1 Ext. 4. Liv. V, 28.

Caput 2.

I, 2, 1. Liv. I, 19 (Paris).
I, 2, 2. Liv. XXVI, 19 (Paris).

Caput 4.

I, 4, 1. Liv. I, 36 (Paris).
I, 4, 3. Cic. de div. II, 3, 7 (Paris).

Caput 5.

I, 5, 1. Liv. V, 55.
I, 5, 2. Liv. V, 21.
I, 5, 3. Cic. de div. I, 46, 103.
I, 5, 9. Liv. XLI, 18.

Caput 6.

I, 6, 3. Liv. V, 15 sqq.
I, 6, 5 (1.) Liv. III, 10.
I, 6, 8. Liv. XXV, 17.

Caput 7.

I, 7, 3. Liv. VIII, 6.
I, 7 Ext. 1. Liv, XXI, 22.
I, 7 Ext. 8. Cic. de div. I, 34, 49.

Caput 8.

I, 8, 1 (1 et 2.) Cic. de nat. deor. II, 2, 6.
I, 8, 2. Liv. XI.
I, 8, 6. Liv. XI.
I, 8 Ext. 19. Liv. XVIII.

Liber secundus.

Caput 1.

II, 1, 1. Cic. de div. I, 16, 28.
II, 1, 7. Cic. de off. I, 36, 129.
II, 1, 10. Cic. Tusc. I, 2, 3.

Caput 2.

II, 2, 1 (2.) Liv. XLII, 14.
II, 2, 4 (2.) Liv. XXIV, 44.
II, 2, 5. Liv. XII.
II, 2, 9 — (2.) Liv. IX, 46 inde a verbis „idem censor cet."

Caput 3.

II, 3, 3. Liv. XXVI, 4.

Caput 4.

II, 4, 3. Liv. XXXIV, 54.

Caput 5.

II, 5, 2. Liv. IX, 46.
II, 5, 3. Liv. VIII, 18.
II, 5, 4. Liv. IX, 30.

Caput 7.

II, 7, 4. Liv. XVIII. (?)
II, 7, 6. Liv. IV, 29 et VIII, 7.
II, 7, 7. Liv. III, 28 et 29.
II, 7, 8. Liv. VIII, 29—35.
II, 7, 12. Liv. XXX, 43.
II, 7, 15.
(2.) Liv. XIII. (cf. Eutrop. II, 12 et 13).
(3.) Liv. XXV, 5 et 7.
(6.) Liv. XV.

Caput 8.

II, 8, 2. Liv. XIX.

Caput 9.

II, 9, 3. Cic. de sen. 12, 42.
II, 9, 4. Liv. XIV.
II, 9, 6. Liv. XXIX, 37.

Liber tertius.

Caput 2.

III, 2, 9. Liv. VIII, 30.
III, 2, 11. Liv. XXII, 51.
III, 2, 20. Liv. XXV, 14.
III, 2, 24. Varro monum. (antiqq.).
III, 2 Ext. 1. Liv. XXVI, 15.

Caput 3.

III, 3 Ext. 5. Liv. XXIV, 5.
III, 3 Ext. 7. Liv. XXI, 2.

Caput 6.

III, 6, 1. Liv. XXIX, 19.
III, 6, 2. Cic. pro Rabir. Post. 10, 27.

Caput 7.

III, 7, 1.
(4.) Liv. XXX, 29; (5 et 6.) Liv. XXXVIII, 55.
III, 7, 4. Liv. XXVII, 49.
III, 7, 10. Liv. XIII (?) (cf. Justin. XVIII, 2); (2.) Lin. XXVI, 11.
III, 7 Ext. 6. Cic. de div. II, 24, 52.

Caput 8.

III, 8, 1. Liv. XXVI, 14 et 15.
III, 8, 2. Liv. XXII, 23 et 26.
III, 8 Ext. 1. Liv. XXVI, 38.

Liber quartus.

Caput 1.

IV, 1, 1. Cic. de rep. II, 31, 54.
IV, 1, 2. Liv. V, 46.
IV, 1, 4. Liv. III, 21. (?).
IV, 1, 6 (1) Liv. XXXVIII, 56; (2.) Liv. XXXIII, 47.
IV, 1, 7. Liv. XXVI, 26 et 29 – 31.
IV, 1, 8. Cic. de prov. cons. 8, 18.
IV, 1, 9. Liv. XXVIII, 9.
IV, 1 Ext. 9. Cic. pro Dejot. 13, 36.

Caput 2.

IV, 2, 1. Cic. de prov. cons. 9, 20.
IV, 2, 2. Liv. XXVII, 34.
IV, 2, 3. Liv. XXXVIII, 57.

Caput 3.

IV, 3, 5 (1.) Cic. de sen. 16, 55.
IV, 3, 6 — (2.) inde a verbis „consentanea repud. cet.“ Cic. de sen. 13, 43.
IV, 3, 8. Cic. de off. II, 22, 76.
IV, 3, 9. Liv. XIV.
IV, 3, 14 (1.) Liv. XIII.

Caput 4.

IV, 4. praef. Pomponius Rufus.
IV, 4, 2. Liv. II, 33.

Caput 8.

IV, 8, 2. Liv. XXII, 52.
IV, 8, 5. Liv. XXXIII, 32.
IV, 8, Ext. 1. Liv. XXII, 37.

Liber quintus.

Caput 1.

V, 1, 1 (1.) Liv. XIX. (cf. Eutrop. II, 26).
(2.) Liv. XXX, 45.

V, 1, 1 (4.) Liv. XLV, 14
(5.) Liv. XLV, 44.
V, 1, 2. Liv. XVII.
V, 1, 3. Liv. XXV, 18.
V, 1, 4. Liv. XXV, 24.
V, 1, 7. Liv. XXVII, 19.
V, 1, 8. Liv. XLV, 7.
V, 1 Ext. 3 (1.) Liv. XIII (?); (2.) Liv. XIII, cf. Eutrop. II, 14.
V, 1 Ext. 4. Liv. XIV. — (Cf Justin. XXV, 5).
V. 1 Ext. 5. Liv. IX, 6.

Caput 2.

V, 2. 1. — (2.) Liv. XXVI, 33 et 34.
V, 2, 4. Liv. XXII, 25—29.

Caput 3.

V, 3 Ext. 1. Cic. pro Sest. 68, 142.

Caput 4.

V, 4, 1. Liv. II, 40.
V, 4, 3. Cic. de off. III, 31, 112.
V, 4, 5. Cic. de inv. II, 17, 52.

Caput 5.

V, 5, 1. Cic. Phil. XI, 7, 17.
V, 5. 2. Liv. II, 70.

Caput 6.

V, 6, 1. Liv. II, 6.
V, 6, 7. Liv. XXII, 53. (?)

Caput 7.

V, 7, 1. Liv. XI.

Caput 10.

V, 10, 2. Liv. XLV, 40, 41.

Liber sextus.

Caput 1.

VI, 1, 1. Liv. I, 58. } cf. Cic. de fin. II, 20, 66.
VI, 1, 2. Liv. III, 47. }
VI, 1 Ext. 2. Liv. XXXVIII, 24.

Caput 2.

VI, 2, 1. Liv. VIII, 21.

Caput 3.

VI, 3, 1. (1.) Liv. VI, 20; (2.) Liv. II, 41. (??) (3.) Liv. IV, 16.
VI, 3, 7. Liv. XXXIX, 18.

Caput 4.

VI, 4, 1. — (2). Liv. XXVI, 22.
VI, 4, 3. Liv. XLV, 12.

Caput 5.

VI, 5, 1 (1). Liv. V, 27; (2) Liv. XIX. (3) Liv. XV. (?)
VI, 5, 3. Liv. XLIII, 16.

Caput 6.

VI, 6, 1. (Cicero ??).
VI, 6, 2. Liv. XVIII.
VI, 6, 3. Liv. XXXVIII, 42.
VI, 6, 5. Liv. XV.

Caput 9.

VI, 9, 3. Liv. XXVII, 8.
VI, 9, 11. Liv. XVIII.
VI, 9. Ext. 7. Liv. XXX, 12 (et 13).

Liber septimus.

Caput 2.

VII, 2, 2. — cf. Cic. de off. I, 23. 81.
VII, 2, 5. Liv. X, 40.
VII, 2, 6. Liv. XXIX, 37.
VII, 2. Ext. 17. Liv. IX, 3.

Caput 3.

VII, 3, 1. Liv. I, 45.
VII, 3, 2. Liv. I, 56.
VII, 3, 3. Liv. XXIX, 1.
VII, 3, 4. Cic. de off. I, 10, 33.
VII. 3. Ext. 8. Liv. XXII, 23.
VII, 3. Ext. 9. Liv. VI, 25 et 26.
VII, 3. Ext. 10. Liv. II, 37.

Caput 4.

VII, 4, 1. Liv. I, 27.
VII, 4, 2. Liv. I, 54.
VII, 4, 4. Liv. XXVII, 43—46.
VII, 4. Ext. 2. Liv. XXII. 46.

Caput 6.

VII, 6, 1. — — (3). Liv. XXIII, 21.
VII, 6, 2. Liv. XXIII, 19.

Liber octavus.

Caput 1.

VIII, 1, abs. 1. Cic. pro Mil. 3, 7 (?).
(VIII, 1, abs. 4. Liv. XVIII, (???)).
VIII, 1, daum. 1. Liv. XVIII, 58. (?)
VIII, 1, daum. 4. Liv. XIX.

Caput 2.

VIII, 2, 1. Cic. de off. III, 16, 66.

Caput 6.

VIII, 6, 3. Liv. VII, 16.

Caput 9.

VIII, 9, 1. Cic. Brut. c. 14.

Caput 11.

VIII, 11, 1. Cic. de rep. I, 15, 23.

Caput 13.

VIII, 13, 1. Cic. de senect. 17, 60.
VIII, 13, 2. Idem de sen. 9, 30.
VIII, 13, 3. Liv. XXX, 26.
VIII, 13, 5, (1.) Cic. de sen. 11, 37 (cf. 6, 16, (2) Cic. Phil. I. 5, 11. (?)

Caput 14.

VIII, 14, 1. Cic. pro Arch. 9, 22.
VIII, 14, 6. — — Cic. Tusc. I, 13, 34.

Caput 15.

VIII, 15, 5. Liv. VII, 26.
VIII, 15, 11. Liv. XXV, 37.

Liber nonus.

Caput 1.

IX, 1, 3. Liv. XXXIV, 8 et 1. (?)
IX, 1. Ext. 2. Liv. XVI.

Caput 3.

IX, 3, 1. Liv. XXVII, 40.
IX, 3, 4. Liv. VIII, 12.
IX, 3, 5. Liv. II, 43 et II, 58 et 59.
IX, 3, 6. Liv. II, 27.
IX, 3. Ext. 2. Liv. XX, cf. Cassiod. chron. a. 524.
IX, 3. Ext. 3, (1.) Liv. XXI, 1.

Caput 6.

IX, 6, 1. Liv. I, 11.

Caput 8.

IX, 8, 1. Liv. XXX, 13.

Caput 9.

IX, 9, 3. Liv. IV, 17.

Caput 11.

IX, 11, 1. Liv. I, 48.

Caput 12.

IX, 12, 1. Cic. de rep. II. (?)
IX, 12, 2. Liv. XXII, 7.